BERNARDINI CAII DE ALIMENTIS,

Quæ cuiq; naturæ conueniant

LIBER.

IN QVO ETIAM DE VOLVPTATIS NATVRA, de Saporibus, de frigidæ Potione, de viribus Salnitri ad refrigerandum, de Auro potabili, ac de Octimensi partu cumulatissime disputatur.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIIS.



VENETIIS, M DC VIII.

Apud Euangelistam Deuchinum, & Io. Baptistam Pulcianum socios.

SERENISSIMO
FERDINANDO
MEDICES.
Magno Hetruriæ Duci. P. F. P.

Bernardinus Caius.

MAIORES tui P. S. ex vna hac re maximam laudem capere studuerunt, si omne genus hominum, qui virtute florescerẽt, in fidem recepissent: doctorum enim hominum portus erat, & refugium Serenis. Med. domus, vt illa patrocinium virtutis verè potuerit nominari; siquidem ipsa animorum magnos, incredibilesq́ue spiritus, celeritatemq́ue ingeniorum numquam neglexit: id testantur clarissima mundi lumina, & ingens eruditissimorum hominũm, atque optimorum virorum numerus; quorum nomina immortalitati consecrata illius gloriam astris terminauerunt. Tandem igitur laudabitur, dum monumenta

tantorum virorum manebunt, horum verò memoria erit sempiterna. Hanc tu quidem hæreditatem ab atauis traditam, omniq́ue principatu præstantiorem gloriam virtutis, & rerum gestarum suscepisti, in quo, quãquam multas tibi gloriosas imagines non solũ ad intuendum, sed etiam ad imitandũ excellentissimi tui Principes relinquerint, eas tamẽ cõsilio, grauitate, constantia, magnificentia facilè vincis: quòd etiam si repeterem memoriam illorum temporum: tu illis maximis imperijs, quorum maximi Imperatores famam procerum Mediceorum admirati sunt, tuam animi magnitudinem propter tuum castissimum cultum religionis, & pietatem sæpius ostendisti: tu regiones quidem opulentissimas, quas multa, & magna, vel in suos ciues, vel in Patriam, vel in humanum genus beneficia meritæ Serenis. tuæ familiæ intulisse videntur, diuinis tuis institutis præclarissime exornas; pro tuis namque gentibus conseruandis, aut iuuandis innumerabiles labores, molestiasq́ue sustines, iccirco iam tuum gloriosum nomen, vltra quàm fines orbis sunt, peragrauit: tantæ igitur debetur tuæ prẹstantissimæ virtuti, vt de te Hetruria semper, & exteræ gentes loquantur, nulla vmquam obmutescat ætas; etenim vera gloria altas radices egit, atque etiam propagatur: hos verò quasi gradus iecisse videris, vt in Cœlum adscẽdas, vbi hominum fama beneficiorum memor in concilio heroum te collocabit. Hæc mihi animo tractanti, intuentiq́ue simulacra tuarum virtutum verum videtur illud esse, quod sapientes viros dicere solitos accepi. Eum, qui omnes mente virtutes penitus compre-

pre-

prehendiſſet, excelſa, quæ facere vellet, egregie tractare: non igitur eſt mirum, ſi fortunam ſuperas, ſi florentiſsimarũ gentiũ, & pacis ornamenta, & bellicarum rerum decora magnificentiſsime auges, & amplificas. Tantarum rerũ facibus ego inflammatus hæc tibi obtuli S. P. monumenta, neq; alium diem potero recordari in vita illuxiſſe mihi lætiorẽ, quàm boni viri gratulabuntur, me tibi eſſe charum: præclareq; vixero, ſi mihi acciderit, vt ſentiam eſſe dignum tua gratia: nec verò plane deſpero: quoniam, ſi tantùm ad ipſam requiem animi concedetur temporis, quantùm exopto; illud ad maiora ſtudia recolenda ſumam: tunc ego quidem per illuſtrium veſtigia virorum ingrediens, ſatis ero fortunatus: tunc forſitan fiet, vt tuo ſplendore virtus, & induſtria lumine auctæ luceant, ſic tu in hac celſiſſima ſede collocatus non auerſus eris a meis laboribus; quin, ſi dabunt ſuperi, æternum tuorum immortalium geſtorum facilè præconium patieris. Huius laboris ampliſſimum erit præmium, ſi eius memoriam benigne ſerues; ſi illius, cuius excellens virtus proximè ad Deorum immortalium numen accedit, menti ea infixa erit: ita magna me ſpe ſeptum eſſe arbitrabor. Cuſtodiatur igitur S.P. tua vita religioni, & virtuti, tuisq; populis reſeruetur, quàm vltra natura patiatur.

ORDO CAPITVM.

Sapo-

Copia

Gli Eccellentiss. Signori Capi dell'Eccelso Conseglio di X. hauuta fede dalli Signori Riformatori del Studio di Padoua, per relatione loro fatta dalli due à questo deputati; cioè dal R. P. Inquisitor, & dal Circ. Secretario del Senato Hieronimo Ramusio con giuramento, che nel libro intitolato di Domino Bernardino Gagio, non si troua cosa contraria alle leggi, & è degno di stampa. Concedemo licentia, che possa esser stampato in questa Città.

Dat. die 10. Maij 1608.

D. Francesco Loredan
D. Lunardo Mocenigo — Capi dell'Eccel. Cons. di X.
D. Stefano Viaro

Illustrissimi Consilij X. Secr.
Bartholomæus Cominus.

INDEX.

QVO HVIVS OPERIS

illustriora referuntur.

Primus numerus nota est paginarum, alter verò linearum.

Dul-

E

F

G

H

I

L

M

N

Na-

O

P

Q

R

S

Sapo-

T

V

FINIS.

BERNARDINI CAII.

DE ALIMENTIS, QVÆ CVIQVE natura conueniant.

Occasio scribendi. Cap. I.

SI quis requireret; quæ causa nos impulerit; vt hæc post sapientissimos homines, qui hunc locum de nutricandi ratione, incitato studio, exagitarunt, litteris mandaremus, nihil est, quod expedire, tam facilè possimus. Equidem ea studia, quæ nos sequimur, inter se magnam habent societatem: constantiam enim à medicandi arte vita mutuatur, & ei vicissim vera principia, quibus è natura ali discimus, reddunt vbertatem virium, & ornamenta corporum. De illa nostris disputationibus de vesicantium vsu, de sanguinis effusione maximè egimus. Multùm etiam, & nobismetipsis, & nostris profuturi videbamur, si, dum nouarum difficultatum causæ quæri viderentur, his esse occurrendum putaremus, atque eas funditus sustulisse conaremur: nunc verò de his, quibus alimur, omnis sane nobis disceptatio, contentioq; erit: nō quia magnis ingenijs in hoc genere maiores nō extiterint, ac laudi glorię nō responderent: sed quoniam plura; quæ apud eos exculta, vel cognita, vel recepta, & profectò melioribus temperata essent, & legibus, & institutis; iacent ea nunc, atque apud plurimos improbantur; quorum licentiæ nisi summi viri restitissent: per quæ vestigia magna animi contentione ingredimur: haud scio, an

reliqua tamquam Hippocratica iudicarentur. In quo iudicium nostrum nullum interponemus: sed ea probabimus, quæ verissima videantur: conferremus rerum causas, & quid in quamque sententiam dici possit, expromemus: sic, nulla adhibita nostra auctoritate, valetudinis adipiscendæ, seruãdæque, & propagandæ vitæ fonteis, magis magisq́; aperiemus, si fieri autem potest, vt recte nos sentiamus, certè proderimus. Nostra legent quidem omnes, vt hominis per vestigia maiorũ ingredientis ad hoc genus disputandi, vt non longo interuallo studia repetentis: non deseramus ea, quæ per multò clariora, & certiora decreuere vetusta sæcula, quibus etiam consequentia incendi oporteret: quis enim est, quem non moueat clarissimis monumentis testata, consignataque antiquitas? Siquidem quod omnibus ita videretur, & de quo nemo aliter Philosophus, & Medicus sensit; in quo modo esset auctoritas; id satis est argumentum, cur esse verum omnes confiterentur. Equidem intelligimus à nobis istum laborem iamdiu postulari, quem etiã non recusamus, illum tamen libentius subiremus, si nobis vllum tribueretur vacuum tempus, & liberum: neque enim occupata opera, neque impedito animo res tanta suscipi deberet: nã nos animi pendere solemus, cũ semel quid orsi traducimur aliò. Vtcumq; sit futurum. Hæc præmuniantur sermoni, disputationique nostræ. Nos non nobis indulgentes, nullis opinionibus deseruientes, Aesculapij sectam secuturos: nihil autem opus est hoc loco litibus. Vtinam liceat nullum iudicantium experiri periculum: sed id aggrediamur, quod est huius verè disputationis proprium, atq; quod expectatur, modò sit etiam nostræ facultatis. Tunc verò nos quidem fortunatos reputabimus merhercule, si intellexerimus posse hæc legentibus probari, & non verebi-

mur

mur etiam, ne dum minuere velimus, laborem augeremus, quin; cum nobis tandem tempus vacuum erit conceſſum, parati, & meditati ad maiora audeamus accedere, nec profecto nobis delectatio deerit aliud ex alio quærentibus.

Longitudinis ratio. Cap. II.

Q*VARE aggredimur ad hanc diſputationem, in qua, ne maximæ res tacitæ prætereant, multa quærentur præclara, quibus de alij ſtrictim, alij multa ſolent dicere: ſed tamen ab hac quæſtione non ſeparantur, quin omnia ex his principijs manāt. Verùm dicamus faciliùs nos aliquibus de rebus quid non ſentiremus, quàm quid ſentiremus poſſe dicere: quòd etiā, ſi haberemus aliquid, quod liquere putaremus, tamen alios in magna rerum obſcuritate audire viciſſim vellemus, cum ipſi ad glaciem ſecandam non pauca dixerimus: In quo etiā non elati ſtudio vereamur, ne longiores fuerimus, ſed erat difficile res tantas, tamque præclaras incohatas relinquere: præſertim cum nos nunc ipſi aliquid phyſica, conſtantique ratione ſperemus ex vnis principibus omnium ætatum philoſophorum, medicorumque Hippocrate, Platone, Ariſtotile, Galeno afferre melius: quamquam plerumque quid nō ſit citius, quam quid ſit dicere, licet: quia quantò diutius res conſiderantur tantò multa aliquando videntur obſcuriora. Aliorum cùm doctiſsimorum, tùm optimorum virórum ſententiam fundemus; uera, an falſa iudicanda proponemus, veri tamen ſimiliora: nos quidem inueſtigandi cupidi magna multorum commenta potius voluimus ferre, quàm vllo modo iudicare, quamquam facilius ſit falſa conuincere, quàm vera inuenire. Quàm vellemus, ne impara-*

tiores ad hoc munus inclinassemus, vt penitus persuaderemus, nihil præter rectam viuendi rationem, magis in bonis esse ducendum, quia homines hac arte ad omne virtutum lumen venirent aptiores: si contra aliorum disciplinam ingenium exardere forte videretur; illud quidē omni contentione procul, & animi voluntate, auctoritatem quidē nullam volumus, nec fidem commentitijs rebus adiungere: in vetusta, ac recenti memoria veritas postulatur, & mehercule nos cupimus non mendaces putari. Denique, si nolimus agere confuse, ea, necesse est, explicemus, quæ quærentur.

Quæ sunt tractanda. Cap. III.

PRIMVM igitur conuenire debet inter nos: esse quandam naturam in præstantissima collocatam tēperatione, quæ, cùm, quasi beato sit prædita statu, nullis frangitur aduentitijs morbis, hancque esse pulcherrimam, qua compositione membrorum, conformatione lineamentorum, figura, specie nulla possit esse pulchrior: in qua intelligi necesse est, vt omnia omnibus paribus paria respondeant, quam quidem censendum est futuram sempiternam, nisi hæc aliquando mutaretur æquilibritas, sed cùm ea, quibus ea cōcrescit, perpetuò mutentur, & ipsa ad extremum dissoluatur: videmus enim naturam suo quodam itinere (nisi quæ vis obsistat) ad vltimum speciei peruenire: atque, vt pictura, ceteræque artes habent absoluti operis effectum; sic in omni natura, siue in fruge, siue in arbore, siue in animanti, ac multò etiam magis necesse est absolui aliquid, ac perfici. Ab hac excellenti natura multæ, siue materiæ, siue efficientis vi effinguntur magis, mi-

nusve

nusve distortæ, quòd quæ tales gignerent, imbecilles essent primorum gignentium formæ, quia scilicet non æquabili pondere congrederentur. Cum verò corporis facibus inflãmari soleamus ad omneis ferè cupiditates in euertẽda quaque fortissimi natura infęlices euaserimus; quibus vis morbis frangi cœpimus: ex quibus varias incurrimus, cum æquabileis, tum corporum inæquabileis improbas temperationes. Statum autẽ suum cũ oẽs constitutiones cõsecutæ sint, tàm optimæ, quàm satis bonæ, nulla quidem re præter naturam egentes, sustentantur ipsæ quidẽ in longinquum tẽpus ijs cibis, quibus naturali appetitione sana corpora sustentantur, & aluntur: naturalẽ uerò sui similem cũ contigerint, & adeptæ sint conditionem, cupiendi finem fecerũt. Aliæ verò constitutiones sanitatis expertes, aut improba æquabili, aut inæquabili temperatione detineantur, non amplius, siue sui similia, siue dissimilia cupiant, secundum naturam desiderant: in hoc enim temperationum statu flagitioso vitæ occasum appropinquare præsentiens, partim ars, partim natura contraria docet exoptare, vt humores temulentes omni ratione placati, ac contemperati, recepta benignitate, prope mortem flectant. Neque igitur sunt omnium temperationum alimenta omnia, neque temporum, neque ætatum omnium, neque locorum. Quamobrem non nobis aliud dicendi initium sumendum est, quàm à naturarum cognitione: hæ enim primùm pertinent ad ea, de quibus maximè sumus acturi. Quibus expositis, ex intima philosophia hauriendum nutricationis disciplinam puto: ita discemus, quemadmodũ caueamus, aut quid de quaq; ciborum, potionumquè consultatione respondeamus. Sit quidem ita res magna: vt lex nutricandi in paruum quendam, & angustum locum concludatur naturę; siquidem ea sunt tra-

ctan-

ctanda, quibus tum ſana, tum inſana corpora regi debeant; in quibusque regionibus, ſtatibus cęli, conſuetudinibus, aeris conſtitutionibus: denique deſcripta erunt iura, & iuſta naturarum, atq; ne vlla, quę ad hoc opus attinent, lateant, explicanda ſunt ſigna numquam ferè ementientia, nec hærebunt in cognitione ciborum, qui ea memoria excipient, cur ita fiat. Cum verò hæc omnia, vt comparentur fieri non poſſit, niſi voluptatum naturam, cuius vi omnia, quæ homini contingant, metiuntur, niſi ſaporum cognitionem adepti eſſemus, de illis ante erit plane diſputandum. Mox, quando nos noſtra in hunc locum deduxit oratio; ipſe amor diſcendi ſuaſit, vt ad quædam magnifica, quæ in hominum doctorum diſputatione verſantur, acri tenderemus animo, quàm difficilia iſta eſſent in poteſtate obſcuritatis, in quibus etiam enodandis, neque nos ipſos abdidimus, neque deſeruimus, neque naturę latebris ſuccenſuimus, neque ita aut adulati, aut admirati ſapientiam ſumus aliorum, qui ante hęc eadem vberius, & excellentius tractarunt, vt nos noſtræ pœniteret voluntatis: quamobrem quædam ſtudia renouare cæpimus de vino dulci recenti picanti, de aquæ frigidæ potione, de ſalnitri natura, de ouo, de reſtauro, de ſublimatis, de octimenſi partu, quòd, ſi ſuppetat vita, adſit tranquillitas; de abditis rerum cauſis cogitamus ſcribere, de maris fluxu, et refluxu: adſint ne omnium rerum naturalium cauſæ naturales proximę, & efficientes, quemadmodum naturam produxiſſe arbitramur: quid habent iſta obſeruatum, & vetuſtum, & recẽs adducemus: non equidem plane deſperamus ea futura probabilia, quòd, ſi emerſiſſe iam ex his vadis, et ſcopulos præteruecta videbitur oratio noſtra, perfacilis nobis reliquus curſus oſtenditur ad maiora, quorũ cauſa hæc præparãtur.

Poſtu-

Postulandum quidem est, ut omnes se ad hęc studia conuertant: profectò fructum capiemus laboris nostri si pauci nostris, tąmquam veritati acquiescent: ipsa quidem omnia ex vetere philosophiæ fama collecta sunt, atque omnia quasi sepimento aliquo vallabit veri, & falsi iudicandi scientia, atque ars quędam intelligẽdi: sociata enim inter se faciliùs intelligentur.

Vniuersæ naturæ principia, & conseruatio vnde. Cap. IIII.

VTinam hæc ingressio nostra non alimentorum statim disputatione ducta, sed è primordijs rerum repetita, neque reprehensionis aliquid, neque certè admirationis esset habitura: Nam alijs videbitur nihil hanc primarum naturarum comprehensionem pertinere ad ea, quæ quærimus, aut reprehendent alij, quòd inusitatas vias indagemus, tritas relinquamus: omnibus satisfaciet res ipsa cognita, ut non sine causa, tam altè repetita. Vtcũque erit, iuuabit quidem nobismet ipsis consuluisse. Positum igitur sit in primis (quod post magis intelligetur) nisi excellentis naturæ, ac earum, quæ inter hanc, & ægram cadunt, item earum etiam, quæ iam ægrę sunt, cognitionem habeamus, non posse effici, ut non modo artem viuendi, quam cupimus tradere, rectè instituamus: sed de ea plane possimus quidquam dicere, siquidem, quàm multa alendis effundit natura hominibus, ipsa omnia ijs naturis moderandis præparauit. Age. Naturæ vniuersæ dixerunt tria esse 1. Phy.c. 7.t.67.68
principia, qui sciẽtiam sunt complexi rerum. Vni horum attribuerunt; ut tanquam agens efficeret. Alteri verò, ut huic tanquam patiens se præbens ex quo efficeretur aliquid:

quid:

quid: illud formam, hoc materiam nominarunt, in hac potē tiam, vt omnino omnia suscipere possit, omnibusque modis mutari, atque ex omni parte. In illa vim, quæ rerum vestigia, & formas insculperet, posuerunt. Neutra tamen sine altera existere posset: neque enim materia cohærere potuisset, si nulla vi, aut forma contineretur, neq; vis continens, aut forma sine materia, cui inniteretur: nihil est enim, quod non alicubi eße cogatur. Sed vtrumque, cum vicissim nexum est, quid quodque ex vtroque constat, corpus iam nominatur. Tertium principium veris affine principijs generationi priuatione ferit opem. Ex his quattuor prima

L.2.de gener.& in ter. c.4.t. 25.26.

initia rerum expressa, atque effi cta sunt. Quibus autem sursum, deorsum, vltra, citraque commeantibus, cum mūdi totius, tum corporum omnium natura continuatur. Quæ etsi, vt sempiterna sit, non fieri potest, ad longinquum tamen, & immensum pœne tempus certè esse posse constat: maximè enim corpora inter se vincta diutissime permanēt,

H. 1. de nat.hum. t.1. Gal.1.de elem.c.5.

cùm quodam arctissimo, quasi vinculo colligantur, quid autem hæc sapientiùs colligaret diuina naturæ vi? quæ, dum ad medium rapit, & conuertit extrema, hunc locum capessere nitentia ad sæcula longissima seruat. Quòd, si vi sic essent affecta elemēta, ut naturæ legibus mutuò se nō alerēt, & sustinerent, sed alterum propter sua incremēta spoliet, & violet alterum, celerrime disrumpi necesse eßet eam, quæ maximè est secundum naturam omnis mundi, societatem: nam tantum detrahere alteri alterum, vt elementum elementi damno suas supra aliorum nimis augeret vireis, eßet contra naturæ leges, vt, si terra paulatim consumpta, non ex humore renouaretur, item, si eodem modo, humore arescente, ipse amplius aliundè ali non poßet. Ita si æther exhaustus ex alio non remearet. Denique ignis, si in aerem

versi

uersi nouus ortus non esset. Modo tantus est concentus ex dissimillimis naturis effectus. Vt, quãtum ignis euolet, tantum aer temperat, & adauget. Vt, quãtum refrigerat aqua, tantum exiccat terra. Itaque omnia in naturam alienam se conuertunt, ea tamen lege, vt quantum terræ in aquam abeat, tantum aquæ uicissim in terram, rursus quantum in aerem aquæ, ex illo tantum mutetur in hanc, ita non secus ex aere fit in ignem. Postremò eadem lege retro commeãt, hoc permanente, quòd ex symbolis celeriùs, faciliùsq; uicissitudo fit hęc, quàm ex asymbolis: quod quidem cum fieri mente uideamus, necesse etiam est, ut sempiterna æquabilis fiat tributio, ex qua illud efficitur, vt elemẽta omnia, tanquam paribus examinata ponderibus secundum totas naturas nullam in partẽ decrescant, aut augescant: quò fit; cùm quæ interimunt, tùm quę conseruant, vi, & copia æquabilia sint; si naturã mortalem immortalem esse oporteret, ut hac solùm vicissitudine sempiterna propter hanc æquilibritatem fieri posse uideretur. Ex his naturis, quæ erant, quod in quoque genere effici potuit, optimum effectũ est: cuius administratio nihil habet in se, quod reprehendi possit. L. 2. Ar. de gen. c. 4. t. 25. 26

Naturarum singularum origo, & status. Cap. V.

EX hac obscuritate naturę; vt cũq; potuimus emersi naturas hominum in similitudinem temperationũ elementorũ tractandas suscepimus: atq; primùm: quod in omni re difficillimum est: humanæ temperationis formã lineamentis quibusdam adumbrare conamur: cuius ad excogitatã potius, quàm visam speciem, eas, quas sub oculis

cernimus, referemus: quòd tamen, si talis omnino vlla vnquam fuit, in hac perenni rerum omnium discordia cohęrere diu non posset, nam elementa, quæ in singulari natura æquabilibus modis, & figura iungi possent, vt paria rependerent copia, & paucitate, necesse est, propter ea quæ diximus, vt ocius immutentur, quò fit, vt facilè, iam iuncta relaxentur, & liberentur, non enim, secus ac in vniuersa natura, in singulari pari pondere partes colligari, seruariue queunt. Ut enim in hac multa externa, quominus sempiternum tempus partes colligatæ permaneant, possunt obsistere, sic illam nulla vis potest vincere, propterea quòd, si ex ea omnia oriri deberent, omnem etiam vim erat victura: neque enim aliter infinita propè naturę vis perspici potest, quàm, si hunc perennem exornatum mundi spectemus ex speciebus, nedum disparibus, sed etiam contrarijs renouatum iri. Equidem initio non fuisset tam mirandũ, naturam, cùm vniuersam, tùm singularem in prima creatione generare immortalem, quàm amicitiam cum discordia nectere, ac ex corruptione generationem; ex morte vitam excitare. His positis. Sanguinem, bilem vtramque, pituitam, neruos, venas, omnemque membrorum, & totius corporis figuram videmur posse dicere, vnde concreta, & quomodo facta sint. De his longè omnium, quicumque scripserunt, aut locuti sunt, & grauitate, & doctrina Hippo. princeps magna, & diligentissima contemplatione docuit, atque firmissimis argumentis ostendit: Eam esse ferè beatam naturam, in qua sanguis, bilis vtraque, pituita, ita ex virtute, & copia inter se mediocriter habent, & pręsertim, si commista sint, vt omnia omnibus paribus paria in copia, & permistione respondeant: hanc nos ęquabilem appellemus tributionem. Hanc constitutionem rite naturam, si

Hip. li. de nat hum.
Gal. libr. de elem.
l.1. de natu. hum. t.8.H.

qua

qua vlla reperiri possit, beatam dixerimus; quę perfectè regat, quæ gubernet, quę cursus facultatum omnium, tum naturalium, quæ coctiones edunt, tum vitalium, quibus arteriæ vitali motu pulsantur, tum animalium, quæ mirabilia rationis, mentis, sensuum opera continent, quæ deniq; mutationes ciborum, humorum vicissitudines, ordinesque conseruat: Quin ipse altè repetens, & humorem, & calorem, qui est fusus in corpore, & terrenam ipsam viscerum soliditatem, spiritum denique illum spirabilem diuinitus quærit, vnde habemus, atque longo sermone, eoque illustri, confirmataque ratione demonstrat, quòd atrum humorem frigidum, & siccum è terra sumsimus, pituitam frigidam, & humidam ab aqua, sanguinem calidum, & humidum ab aere, bilem calidam, & siccam ab igne, quorum temperatione, & fœcunditate solida constant, spiritus gignuntur. In tanta humorum æquilibritate, improbę voluptates, vt expetantur natura non mouet, sed tantum, quasi moueat, vt se ipsos diligamus, vt integros saluos velimus, propterea quòd ea principia dedit, vt simillima appetamus, dissimillimaque aspernemur, motus namque dedit finitos, & æquabileis ratis ordinibus, magnaque constantia, quòd, si ei obtempereremus, ijs solùm escis, atque potionibus, quoad opus esset, vesceremur; ne scilicet, aut nimis acres, aut nimis cōcretos, aut nimis frigidos, aut calidos, aut siccos, aut humidos humores colligeremus, vt eo corpore essemus, ne aut casus morborum extimesceremus, aut defatigatione membrorum ante diem fatisceremus, hunc verò statū cum est consecuta, naturalem maximè est adepta constitutionem, & iam ad sui vltimum penetrauit: ad hanc naturæ excellentiam argumento esse potest, quòd finem melius cupiendi facit, facibus corporis liberata, nec vlla effrenata humorum libidine

H.l.1. de na. hum. ab initio Gal. l. 3. de nat. f. c.7.

L.1. de tē pe c.1. G.

L.1. de tē pe c.3 G

nec longitudo fastidiet. Aliquantò quidem secus, atque in tradenda arte dici solet, adumbremus: neque enim omnia præcepta ponemus, (neque enim id suscepimus) neque dicemus omnino quibus signis innumerabiles ferè singularium naturæ distinguantur: sed satis tamen; vt etiam laterent, ab eo, qui penitus artis ignarus non esset, possint iudicari, & cognosci. Verè illud nobis hoc in primis videmur G.l.2.tẽ.po.c.1.2.3.4.5.6.7.8. *dicturi; quòd cibi, & potiones, & animi exercitia, & corporum, & tempora, aer, cęli status, & regiones multùm inter se distantes effecerunt naturas: & vt segetes fæcundæ, & vberes non solùm fruges, verùm herbas etiam effundũt inimicissimas frugibus, ita naturæ egregiæ, & florentes humores etiã interdũ propter delicta gignunt inutilißimos sanitati. Multæ igitur à forma, cui nihil deest, videntur naturę, aliæ quidem frigidæ, aliæ calidæ, aliæ humidæ, aliæ siccæ, aliæ duarum qualitatum nexu geminãtur, quas nullo modo, quia illis aliquid, aut plura desunt, in eã, quã speciem omnium statuimus, non poßimus includere: florent tamen plurimæ, & ad vitam commodę magis, minusvè bonis optimè ornatę. Magnus est enim interiectus inter formam, & eam, quę olim languet, in quo, quę continentur, omnes facilitatem viuendi ferunt, & moderatam satis vitę ęquabilitatem obtinent. Inter has autem, quæ speciei finitimę sunt, commodiùs viuunt, quę verò languenti propiores, deteriùs. Omnes inter se elegantia coloris, ornamenta corporum, actionum firmitas, facultatum constantia, sensuum* L.1.de tẽpe.c.9. *integritas, motuũ prestantia, mentis excellẽtia distinguit:* L.2. tẽp. c.1. *quòd, si in tot naturis, quę vigent, tantę dißimilitudines, tantę certę res cuiusq; proprię videntur, & in ea varietate ferè melior à deterioribus omnibus signis, aut plurimis distinguitur, atq; ea laudatur, quę in sua differentia magis ad*

vitam

vitam degendam viget: eadem plenior bonis erit, & viribus instructior, illaque etiam aptior erit ad permanendũ, quia in illa quoque in agendo virium, vel maximum sit. Iã verò esse satis explicatas naturas, quę valent, arbitramur: & quęrendum esse explicationem earum, quę languent.

De Naturis languentibus inæquabiliter. Cap. VII.

MAteriam naturis languendi videntur tùm dedisse humores, cùm incensi potuerint vim induere, qua naturas ipsas vincere possent, atq; facultates illarum penitus insitas eneruare, quod quò magnis horum peccatis accidere potuit, eò illas robore spoliant, in hoc sanè flexu virtutum, parum hęrent ad metas bonitatis coctiones ciborum, vnde in venis, in carnibus multę cumulantur cruditates, quę cum inclusæ sunt diutiùs, & compressę, suis vitijs sanguinem contaminant, quę quidem, cũ parua aspergunt contagione; leuissimę, cum verò maiori; inexpiabiles ęgrotationes suboriuntur: motus enim turbulenti, iactationesque peccantium humorum incitati mirandum in modum omneis naturę facultates debilitant: nec verò, extrema humorum corruptela dominante, bonę temperationi locus esse potest omnino, nec in improbæ contagionis regno; vllam principiorum vitę virtutem posse consistere videmus; sic medijs media, & leuibus leuia respondere in omnibus naturarum statibus videmus, ita perinde facilè reliquas omneis naturarum differentias cogitatione, & mente complecti, & voce exprimere possumus, cum ex vna alterius similitudinem alię ducant.

De

De Naturis languentibus æquabiliter. Cap. VIII.

IAm verò quarta est referenda natura, ea quidem, & ipsa tota feruida est, ac omnibus corporum partibus insanum impertit, & consumptorem calorē, hanc prisci sęculi medici calidam, & siccam temperationem, quæ soliditatem membrorum omnem occupauerit, febrim dixerunt hecticam. Ab hac initiò virtutibus omnibus latentes tēduntur insidię, eo enim tempore habet quiddam naturalis boni simile, cum verò diutius implicata insederit, à sanitate omne virtutum genus detorquet, & flectit, exalbescit primùm florens ille naturę color, deinde caro tabescens sensim auolat, mox iam omnia virtutum genera iacent, nec diu repugnant.

De Naturis inæquabiliter languentibus non in toto corpore. Cap. IX.

DVo maximè cum existant flagitiosarum intemperationum genera, vnum, quod vno calamitatis genere vniuersum corpus comprehendit, alterum, quod quasdam corporis sedes: primi generis peiores quidem sunt, quæ validiùs totum corpus tenent, pręsertim si ipsę frigidę, & siccę extiterint, siquidem propiores vitę occasui appropinquant: secūdi generis eę sunt deteriores, quę principes partes comprehendunt, nam huiusmodi corpora morbis facillimè patent, pręcipuè siquidem contrarijs obsiderentur intemperationibus: minus tamen obnoxia sunt morbis corpora, quorum viliores partes vtcumque ęgrotant: fieri

autem

-tutum carent, cuiusmodi maximè sunt, quę aduersas inter se intemperationes capitis, cordis, iecoris, pulmonum, ventris, vteri, lienis, siue omnium, siue plurium, vel vnius, sed excellentioris, perpetiuntur.

Alimenta in tanta naturarum varietate quo consilio seligenda. Cap. X.

HIs expositis progrediamur à principijs naturæ, quibus etiam congruere debent, quæ sequētur, neque enim cuiusque naturæ propriam nutricandi rationem aliunde eliciemus. Primum autem est officium naturæ, vt se conseruet ipsa in suo, & æquabili statu, quod vt adipiscatur, ea teneat necesse est, quæ secundum ipsam sint, pellatque contraria. Equidem hæc est conciliatio naturæ prima ad ea semper, quæ sunt secundum sua principia. Quòd, si naturæ se ipsas diligant omnes, tum sanæ, tum insanæ amplectentur etiam omnes ea, quæ sunt secundū naturam, & reiecient contraria: atqui sanæ quidē similia, insanæ verò dissimilia appetere deberent, illę enim, vt se excolant, augeāt, & sustineant, sui familiaria; hę vero, vt se a morbis vindicent, & tueantur, sui contraria. Cur igitur ita fieri oporteat, ante omnia est inquirendum. Cōstitit quidem inter omneis philosophos id, in quo conseruatio naturæ versatur aptum, & accommodatum naturæ esse oportere, & tale, vt per se inuitaret, & alliceret appetitum. Hic non irascantur medici, si à philosophia, cuius totus hic locus videtur proprius, hanc cognitionem mutuauerimus, priusquam de cibis pressius agere cœperimus. Iam verò dictum est, naturam rebus à se genitis ingenerasse, vt suis principijs niterentur: quæ cum quattuor sint

quadam certa proportione demensis, hanc quidem, vnde alimur, necesse est, seruemus: quòd, si aliquando necessitas aliqua nos ad ea detruserit, quæ cuiusque naturæ propria non erunt, omnis adhibenda erit cura, diligentia, meditatio, vt ea, si non propriè, vt minimùm impropriè faciamus, nec enim tam est enitendum, vt consentanea, quę naturis restituendis dicata sunt, sequamur, quàm, vt imminentia pericula fugiamus: quod quidem, nisi qui naturas hominum, vimque omnem, facultatem, causasq; eas, quibus ipsę, aut incitantur, aut reflectuntur, penitus perspexerit, moderando, quod volet, perficere poterit: nec verò id aliter consequi licebit, quàm ea, quæ conseruantia sunt deligamus, alienemurque ab ijs, quæ interitum videantur afferre. Verùm, si contraria se perimunt, similia se conseruant: consequens est, vt naturæ optimæ optima, & simillima alimenta, deteriori contraria, & dissimillima, mediæ, quæ inter hanc, & illam cadit, ea modò, quæ similia, modò quę dissimilia sunt, debeãtur alimenta, quibusque delectentur. Hinc est, quòd non omnium sanarum naturarum gubernatio in aliqua communi ciborum administratione versetur, sed cuiusque sit sua. Nam in naturis hominum, cum dissimilitudines sint ex differentibus causis factæ, mirum non est, quòd alia sit temperatissima, aut fiat; quemadmodum fieri posse arbitramur; alia calida, alia frigida, alia sicca, alia humida, alia denique ex harum potius complexu; in omnibus verò summa communis est, vt temperatissimæ naturæ temperatissima, & reliquis similia alimenta parentur, quibus alantur, augeantur, & tueantur, nec enim vlla vis est naturarum, vt sui dissimilia possit, velit ve affingere. Quòd verò, si reperirentur aliæ naturæ, quæ, vel iam sanitatis fineis excesserint, vel his multò propiores existerint

rint, illæ quidem omnes, vt restituantur, & corrigãtur omnino est cogitandum, id autem contraria quidem alimenta præstant. Alimenta igitur: quibus cunctæ naturæ, de quibus disseruimus, incredibiliter delectantur, aut iuuantur, per quæ etiam: nisi malo retardentur vsu: ad vitam beatè degendam, vel tuendam, vel propagandam proximè videntur accedere: debent habere rationem cum frugalitate, quæ numquàm exuit beneficentiam, nec sanitatem, quam accipit, sine vsura reddit, sed aliàs minore, plerumq; maiore fænore. In primis autem maximo beneficio hac frui optimæ naturæ licet; etenim ob frugalitatem ipsa vitam nitore corporis, ornatamque omnibus, tamquam gemmis, naturalibus bonis ad vltimum tempus senectutis extendit, ex hac veluti forma permanet ius, & totius, & singularum partium, hæc docet, vt appetant solùm quid sit, quod quęrunt, nimirum omnium alimentorum summum, & vltimum: Siquidem vult natura esse conseruatrix sui, vt salua sit, & in vita conseruetur, quapropter ipsa tantummodo in tanta rerum largitate cupit, & discernit, quę sibi plurimùm sint profutura, ac reliqua tamquam contraria aspernatur. Horum verò aliàs diligentißimè essentiam describemus, vbi alimentorum non ementientia signa trademus.

De Alimentis naturarum mediarum.
Cap. XI.

PRogrediamur modò, dũ à forma naturarũ discedimus, ad eas naturas, quę adhuc intra fineis sanitatis cõtinentur, atq; ea notemus alimenta, quę illis congruere debent, initio tamen ita constituto. Earum, quę

speciei finitimę sunt, illę quidem propter se sumendę sunt, & in suo statu conseruandę; in quo etiam bona conditione muneribus vitę fungantur: quamobrem considerare oportet; quid interest his naturis, nimirum, vt quales ipsæ sint, taleis quoque eas seruemus, & propterea illarum simillima, quibus vescantur, seligenda sunt alimenta: deinde ea sint perpetua, tum ad extremum consentanea: denique cùm eę naturę haud procul à forma distent, de earum statu eruditi, iam nullam aliam viam in selectione ciborum sequamur, pręter similitudinem in illius conseruatione complectemur. Quòd, si in hoc tam amplo interiectu naturarum, alię tam sunt inflexę, & incuruatę: non sunt illę quidem deserendę, sed contraria victus ratione restituendæ, quod tamē nisi per multum ocium fieri potest, ac maximè, si in vita ciuili versentur: quibus quoque fortasse erit securius; vt nec tentent temperamenta mutare: cùm iam natura longinquitate temporis cum consuetudine conspirauerit: mutationes etiam sunt cauendę; mutationes enim eorum, quæ circum naturas nostras, & habitus cōtingunt, maximè morbum faciunt, nutrimenta igitur sibi consentanea sumant, & viuant. Quæ enim ex longo tempore consueta sunt, & si deteriora sunt insuetis, minus molestare solent. Porro apta erunt alimenta humidis quidem humida, & siccis sicca, frigida frigidis, calidis calida. Siquidem nutriuntur naturæ, cùm succi, quibus aluntur, illis assimilantur, citius autem, & meliùs assimilantur similibus similia, propterea quòd maiori iucunditate gustatum, & reliqua viscera, quæ concoquunt, perfundunt. Præterea intelligi debet, quòd difficilius harum intemperatarū naturarum illæ, quę consimili arripiuntur intemperatione, quàm eæ, quæ dissimili, & contraria, ad optimam naturam reuo-

Hip.l. de loc. & aq. I epid. 3 1. ac. 17.

5. aph 50

reuocantur. Quippè naturæ, quæ sui simili intemperatura prehenduntur, longiùs ab optima disiunguntur, quàm quæ intemperatura dissimili. Ad clariorem intelligentiam fingere liceat, optimã esse naturam O. N. verò, & P. intemperatas naturas esse; illud ad calidum; hoc ad frigidum vergat, tunc accidat. N. calidius fieri, vt M. tum constat sanè M. plus ab O. disiungi, quàm P. quamobrem cuiuis, modò adspexerit, patere potest, ægrius, M. ad O. restitui posse, quàm P. magis enim distat. M. ab O.

De Alimentis naturarum languentium. Cap. XII.

At sunt deteriori conditione naturæ, quæ iam sanitatis fineis excesserunt, & languent, quò enim his est minus salutis, eò plus postulant viriũ alimenta, quæ altura sunt, & correctura, etenim illæ multò quidem difficiliùs sanãtur: hoc verò summum operum naturæ fuerit, eas vertere in melius cum alimentis contrarijs, harũ verò alias diximus æquabili arripi intemperatione, alias autem inæquabili; rursus inæquabilium, alias in toto corpore, alias in non toto, sed quibusdam partibus: omnium quidem nullę reperiuntur, quæ, vt restituantur, & corrigantur, alimentis plane contrarijs non egeant. In ijs natura ipsa adhuc positum est, quòd contraria cognoscant, & appetant alimenta, vt se tueãtur, corpora verò, quibus inhærent æquabiles æquabiliter intemperationes, illæ tamquam naturalem constitutionem ipsæ adeptæ essent, contraria refugiunt alimenta, sed ea, quæ aduentitiæ naturæ essent similia, desiderant, sic febres, quas becticas appellant, cur ita expetunt aliàs ostendemus. Harum igitur omnium naturarum sanè non negligenda est correctio,

vim

vim enim habemus omnium, quæ generantur e terra, e mari, ex aere, quorum contrarijs facultatibus contra intemperationes aduersas, quasi vallo muniri corpora possunt, sic se erigant, atque tanta iuuamenta complectantur, vt restitui queant; nimios febrium defendunt ardores infrigidantia, sic percurre per alias rerum contrarietates, nõ deerunt, quæ illas restinguere poterunt, facilè etiam adminiculorũ ordines antiquis proferũtur, ex quibus omniũ contrarietatũ vires sollertiùs persequuntur, modò nec hominum continentia, nec temporum deficiat disciplina. Equidem naturæ, quæ iam dilapsas sentimus diffluere, seueris legibus contrarijs victus vinciendæ sunt: vt enim humores egregie renouatos, quibus florens comparatur gratia, propitios habemus: ita ex eluuie, & labe eorum, qui in inclinante temperatione germinant, sine magna vi emergimus, nisi, laudabili sanguine propagato, eam comprimamus: sed, si ad illam humanorum casuum, incertorumque euentuũ cõtagio accedat, maiora constituenda iam sunt præsidia, nam effrenatæ contaminatorum humorum libidines non tolerandiq; impetus, si paullùm uetustatis roboris assumserint, non continentur, sed progredientur, & longiùs ad perniciem efferentur, siquidem extra regiones probitatis elati magna, tamquam fortuna, & copia, naturam omninò opprimentem. Nunc referamus animum ad ea, quæ consequuntur, ex dictis enim intelligi potest, quendam quasi gradum ad naturas inæquabiliter, ac æquabiliter in non toto corpore ægrotantes moderandas iactum esse. Ergo ita habetote, quod, si singula, aut plures, aut etiam cuncta viscera (quod est extremum malorum) ita fuerint sortita passionum inæquabilitatem, vt aliud iecoris temperamẽtum sit, aliud ventris, aut alicuius eorum, quæ primas obtinent

L. 11. de simp. facult.
l. 3. de alim.
li. de succi bon. & vit.

partes,

partes, sit tunc exploratum, quòd grauiùs ægrotant, tristiùsque curantur, itaque pauci admodum veniunt ad senectutem, si tamen patientiùs viuunt, & prudentiùs aliquando euadunt, quamquam sperare nequeant diu se victuros: Sin: insipienter quidem sperant, namque, cùm hunc ancipitem statum aggredimur, incredibile est, quàm periculosiùs pertractantur, quo igitur tandem animo esse oportet; propè iam ex magna viscerum labe videntes, his naturis maximas morborum vicissim repugnantiũ tempestates esse subeundas, cum tantis vitijs, non fieri posset, vt alimẽta obsistant, quandoquidem hę inæquabilitates intemperationum tantam habeãt vim, vt quod alia postulet, repudiet alia: quamobrem satius est temperatißima alimenta seligamus, quibus in similitudinem contrariorum vtamur, tutius est enim longinquiori curatione ad salutem, vtcumque potuimus, contendamus: nec verò ignoramus viam cultam, tritam, veram, & directam rationem illam esse, quæ, æquabilibus viribus contrariorum potentiam flectendo, naturã ipsam defendat. Naturis igitur ijs diuersa dicanda sunt alimenta, quę gustatui sunt iucunda, ab illis, quę cuique parti sunt congruentia. Quamobrem remanet, quòd ea illarum statui tutiùs, iucundiùs opitulentur alimenta, quæ optimæ temperationis virtute, & rectè factis succis, quadam imagine contrariorum ab eorum vi haud longe abesse putantur, ita illorum media, aut temperata uis ob hoc etiàm tutior, quàm contraria vera vis, iuuat, quia offensionis vlli parti nil afferret, opis efficacioris quamquam minus, namque apex omnium præsidiorum est securitas.

De alimentorum ſimilitudinibus, & diſſimilitudinibus cum naturis. Cap. XIII.

QVomodo verò alimentorum diſsimilitudines, aut ſimilitudines ſanis, & ægrotantibus lętæ ſint, tempus eſt iam, vt fuſiùs explicemus. In omni igitur ratione alendi duplex eſt, quod ſingulis ſit congruens. Eſt quidem vnum, quod delectatione ſimpliciũ qualitatum. Alterum, quod tota ſubſtantia corpora alenda inuitat, & allectat. Ac maximam quidem habet vim non in ventre modò: ſed etiam toto corpore, vt, quæ ſunt altura, ſubſtantiæ ſimilitudinem obtineant: ſemper enim eò boni ex ijs gignuntur ſucci, quò inter ſe ſimiliores ſint ſubſtantiæ. Cibo autem bene culto nil poteſt eſſe, nec vſu vberius, nec ſpecie perfectius. At ad eum excolendum nulla cultura eſt magis ſimilitudine ſubſtantiæ ſalutaris: Vbi enim eſt communitas virtutum, & ſubſtantiarum, ibi excellentiùs vtiliori aſſimilatione coniunguntur ſalubriùs. Quin in hoc incredibilis perſpici poteſt naturę vis, quia hac ratione nutrimenta animalibus, & varia, & ſpecie multùm inter ſe diuerſa emergunt. Itaque, quamquam nulla ſimilitudo inter paleam, herbas, panem, cicutam, & veratrum, & animãtia, quæ illis aluntur, intercedere videatur: attamen illis ſunt, propter hanc magis decantatam, quàm cognitam ſubſtantiarum conuenientiam nutrimenta. fiat autem cur id, non deſperamus aliquando attingere. Fiunt etiam, & in qualitatibus, quaſi amicitiæ, & conſuetudines. Hinc fit, quòd, ſi temperamenta ſeruare volemus, id harum magno concentu fieri enitemur. Humidis enim cibis humida, ſicca ſiccis planè ſeruamus, ſin reſtituere, &

cor-

corrigere intendimus, id contrarijs efficimus cibis. Quin etiam in frigidiori, & calidiori intemperatione intelligere par est, contraria alimenta, tum iucundiùs, tum etiam securiùs præstare nos posse, si quidem istæ grauius etiam, quàm natura ferret, propter virium vehementiam vrgerent, aduersas enim grauiores intemperationes subeant necesse, qui illis pressi similibus nutrimentis vescuntur; nec verò tantas opportunitates nocendi habent siccitas, & humiditas, nã, si perinde aliquod membrum siccius, aut humidius effeceris, nihil manifestè lædes: argumento sunt ætates. Primæ enim ætati quamuis ab ortu ad adolescentiam humidissima sit caro, senili verò siccissima, quantum tamẽ spacium ætatis maiores nostri ad senectutis initium esse voluerunt; nihilominus tantus naturarum cursus fuit, in quo detrimentum siccitatis ferè ipsæ non perpetiuntur. Ex quo intelligi debet: homini id esse in bonis, atque secundum naturam viuere, in quo certum est; quòd suauitate aliqua natura ipsa ad alimenta propria mouetur, & iucunditate sensus captantur. Itaque dulciora alimenta maiori quoq; commotione delectationis suauiùs vnum, aut plures sensus titillant, quantò autem magis suauiter voluptates plures multis blandiũtur sensibus, tantò maiora percipiũtur gaudia: Quæ enim illa saporum iucunditas est gustatui deleniens, sic odorum flagrantia naribus, quæ oculis rerum elegantia, sic auribus sonorum delectans concentus, & modulatio: sic denique tactui, quę mollia, tenera, tractabilia. Quamobrem cum omnes vnius generis sint voluptates, ac tamquã illabefactę, si pluribus sensibus allamberent, maiores afferrent delectationes. Huius autem rei tantę, tamque difficilis causas inquirere, non erit alienum; cum harum mensura omnem naturarum substantiam alere, fouere, au-

gere,& tueri liceat: siue optimam, siue proximas sustinere, aut eas, quę deflexerunt, aut ęgrotanteis restituere opus esset. Quemadmodum verò istuc peruenitur, docent experientia, ars, & ratio. Fruges quidem, baccas vè arborũ, pecudum, alitum, piscium carnes natura dedit, omniũ verò cultũ, & conditionem disciplina partim, partim etiam experiẽtia docuit, quibus ars aliqua, ex illis orta, adiũgitur, sed hęc omnia nõ subtili solũ explicatione, sed etiam fusa latiùs oratione docuerunt maiores. Attigimus iam causam, ob quã alimẽta, aliquando tum similia, aliquãdo tum dissimilia naturę expetãt, nunc huic quęstioni plenè satisfaciamus, nec uerò id difficile erit dictu, si prius docuerimus; cur natura omnia, quęcunq; ipsa expetat, quęq; fugiat, voluptate, & dolore metiri solet: videmus.n. sensum eius fidelẽ interpretẽ hunc aspernari, illam consectari. Quę igitur, sensum maximè, aut voluptate alliciunt, aut dolore impellunt, & specie prima aliquando acerrimè commouent, ea sunt, quę corpora nostra celerrimè à naturę statu allienant, aut allienata ad eundem restituunt: ea enim, quę leuiter sensum siue voluptate, siue dolore mouent; facillimè alterationum vim fugiunt. Alteratur autem, & corrumpitur cuiusq;

G.l.de inęq. intẽ. pe.c.5.

corporis natura, vel cum calefit, aut frigefit, vel siccatur, vel humectatur, vel eius vnitas dissoluitur: primo modo: cum terrena, aut ignea, aut spirabilis, aut humida substantia, aut malimus propriè magis dicere, vel sanguis, vel bilis, vel melancholia, aut pituita, ex quibus scimus corpora esse coagmentata, nimium vel copia, aut virtute augescũt.

l. de hu. na.1.8.vt seq. ad 20.H.

altero modo, si cõmixta omnino non fuerint, quod Hip. narrat grauiter sane, & probe, dicens. Dolet autem cum horum aliquod minus, aut amplius euaserit, aut separatum in corpore sit, nec contemperatum omnibus. Ex his intelligi

par

par eſt, quòd, ſi illis, quibus natura alteratur, & corrumpitur, dolores fiunt, non dolet, & frangitur ijs, quibus corrupta iam eſt, & mutata, tunc enim omnes occidũt ſenſus, [l. de tre. palp. rig. c.6.G.] per quos etiam ad naturalem ſtatum reuocatur, & conſeruatur, fiuntque voluptates: vbi verò ſanitatem aſſecuta eſt, in ea conquieſcit, & delectatur: eſt enim quidam voluptatis modus naturalis, in quo natura nullo incitatur deſiderio, & finem facit cupiendi. Cur autem inter mutandum doleāt naturę, nihilo verò, vbi penitus ſint mutatę, [l.1.de na. hum. t.5.] docent pręclarè Hip. Gal. Plat. & Ar. Exordior ab Hip. Vir diuinus reprehendēs antiquiores, qui omnia ex uno principio fieri contenderent, hęc protulit. Mea verò ſententia, ſi homo eſſet vnum, numquam doleret, neque enim eſſet, à quo dolorem perciperet, ſi homo vnum foret. Quòd autem, (inquit eo in loco Gal.) ſi vnum ſimplex elementum eſſet, non doleret corpus ex huiuſmodi elemento conſtructum, indicium eſſet; ait; nullum aliud exiſtere ſecundũ, quod in ipſum poſſit agere: nam conſentaneum eſt, vt ſi- [l.1.de gē. & cor. c. 7.Ar.] mile, & vſquequaque, & omnino indifferens, nihil à ſimili patiatur; cuius enim rei præſidio alterum magis altero egerit? Iam, ſi fieri poteſt, vt ſimili à ſimili afficiatur, profectò idem quoque à ſe ipſo afficietur. Præterea certum eſt. [2. cœl. c. 12.] Actionē ſemper in duobus cōſiſtere, quando, & id, cuius gratia agitur, eſt, & id, quod huius gratia agit, neq; enim fieri poteſt, vt edantur vllæ actiones, niſi duo corpora reperiātur, quę ad agendum, & patiendum ſint nata, quæ vbi conuenerint: tũ uel ſimul patiātur, agantq;, uel alterum agat, [l.3.de na tu. facul. c.7.G.] alterum patiatur: quippe, ſi pares ijs vires adſint, ex ęquo tum agent, tum patientur: ſin longè ſuperet vincatque alterum magnum quiddam, & quod ſenſu percipi poſſit, in id, quod patitur, efficiet: ipſum verò exiguũ aliquid,

& quod sensu deprehendi non possit, vel nihil omnino patiatur. His positis consequitur, vt in natura hominis, quæ est mutabilis, duo concurrant, nimirum vnum, quod agat, alterum verò, quod patiatur. Itaque in ea natura, quæ inæquali intemperatione tenetur, hæc duo reperiūtur, 6. epid. 6.c.5. *illud quidem, quod agit, est inæqualis ipsa intemperatio, quæ, cùm sit extra naturam, dum ad rectè partes valentes quandam alterationis molestam distributionem impertit, dolorem etiam infert, at necesse est, quæ vim patiuntur, doleant, donec omnes mutatæ fuerint, tunc verò vnum factū erūt, & ob id desitum est agere. Quis autem non videt, ita explicari omnia? Nam, dum inæqualis temperatio naturā aggreditur, & cæpit flectere, ac, vt potest, à statu suo detorquet, tamquam vnum a natura alienum semper dolore vrget, cum verò in omni natura, omni scilicet solido corpore, implicata insidet, imitatrix bonæ temperationis aduentitia inducitur natura, ita ipsa vnū cū natura efficitur, quò fit, vt dolorem inferre non posit, nec enim existit alterum, in quo agat. Sic hæc noua, sed aduentitia natura, blāditijs decepta, tamquam naturalis esset, sui similia appetet, & perinde vitam magis, magisque debilitat, & abbreuiat. Eiusmodi esse febris hectica cernitur. Hanc tamen deflorescentem naturam ab aduentitia a vero salutis statu abactam ratio, & experientia, ne ociori quasi senecta languescat, stipatæ studijs artis docent reparare. Scripsimus hæc de naturis. Primùm, naturam beatā, ad quam vtinam perueniremus, esse fortunatam, qua quidem nec, qui præditi fuisent, non beati putandi, quamuis consenuerint vires, atque defecerint, neque enim ista ipsa defectio virtutū incontinentiæ vitijs efficitur, sed naturali consecutione: idcirco in ea quicquid, ob id ipsum est perfectum, ista*

ipsa,

ipsa, & ea, quæ actionum firmitate simillima, illi est finitima, se nobilitatas, & lateribus, & lacertis suis ad extremum conseruant. Reliquæ verò naturæ, vt nimis redundantes, & superfluentes humorum, vel etiam indigentes, & quasi extra ripas sanitatis diffluentes, contraria viuendi ratione sunt coercendę. At verò naturæ; in quibus iam hærent ęgrotationes, & in quibus habitus non procul abesse putatur à vitæ periculo; maxima diligentia contraria victus ratione regendæ, siue inæquabili, aut æquabili intemperatione teneantur. Status verò inęquabileis singularium partium varijs præceptis gaudent.

De Voluptate. Cap. XIV.

NUnc autem nobis visum est vberiùs de voluptate, & dolore aliquid scribere, hoc enim onere maximè tenemur, quoniã alimentis commune est cũ his omnis cognitio. In primis autem, ne ad alienas res verba deflectere videamur, de voluptatis natura nobis dicendũ putamus, quia non defuerunt, qui voluptatis causa omnia sapienteis facere dixerunt: quin Arist. ipse aliquando visus est quærere, vtrum ob voluptatem viuere expetamus, an voluptatem ob vitam, & quamquam missum sermonem in præsentia faciat: tamen (inquit) coniuncta hæc esse videntur, & non suscipere separationem: nam, & sine operatione voluptas non fit, & omnem operationem perficit ipsa voluptas. An verò maiorem continuò voluptatem nemo experiri possit; quàm in cibo, potione, spiritu, quibus omnis vita continetur, an veriùs vita non modò vestibulo sanitatis priuatur, sed omni aditu, & lumine, Ar. l. 10. eth. c. 4.

nisi

nisi coniunctio fuit fidissima gratia voluptatis cum alimẽtis, de quibus maximè agimus. Ut autem certam habeamus viam, atque rationem, qua omneis mentis sensuum, animi, corporis voluptates inuestigare, & consequi possimus, ita disputatio à nobis agetur, vt in earum cognitione pręter rationem, etiam ipsi oculi nostri interesse videantur. Cõstat igitur inter omneis philosophos post philosophiã constitutã communeis voluptatum, & dolorum has esse causas: nimirùm dum soluitur harmonia in nobis animantibus, simul naturæ solutionem, & dolorum generationem in illo temporis momento fieri: rursum autem cum consentiẽter adaptatur, & ad suã naturã, atque temperamentum abit, statuendum est, existere voluptatem. Omnibus autem antiquior Hipp. ita statuit. Iis, quibus natura alteratur, & corrumpitur dolores fiunt, e diuerso, quod ad suam naturam vniuersim, & celeriter redit, iucundum est. An, si quis sit, qui, quid sit voluptas, nesciat, aut qui, quò magis intelligat, definitionem aliquam desideret. Ita habeto. Voluptatem hanc esse sentiunt omnes, quam siue mens, siue sensus accipientes, mouentur, & iucunditate quadam perfunduntur. Ita par est intelligere dolorem esse, quem siue mens, siue sensus refugientes mouentur, sed molestia quadam vexantur; quòd, si magis loqui velimus, voluptatem in animo lætitiam commotionem suauem iucunditatis in corpore appellabimus. Causis autem communibus positis, quamobrem quæque voluptas fiat, inquirendum, nulla enim causarum ignoratio in re vsitata mirationem facit. Nam quidquid oritur, qualecumque est, causam à natura necesse est finitimam habeat, vt etiam, si præter consuetudinem quædam extiterint voluptates, præter ordinem tamẽ causarum non possint existere: vna enim quæque voluptas

Pl. in phileb. c. 31.

l. 10. eth. c. 11.

l. 10. cel. c. 5. volu. quæq. ficam sum causam.

ptas est ei propriè operationi, quam perficit, propria enim voluptas auget operationem, qui namque cum voluptate operantur, singula magis discernunt, atque exactiùs comprehendunt, quin voluptates, quæ à diuersis operationibus manant, ipsæ sese impediunt, voluptas enim eam, quæ à cantu fit, operationem, & voluptatem, quæ est circa sermones impedit: præterea operatio iucundior alteram, quæ circa idem fit, excludit. Hæc omnia ostendunt vnius voluptatis vnam, & propriam causam, neque vllę erunt magnæ, nisi eæ causæ fuerint, vnde illæ manent, amplissimæ. Sed me ex nostro pœne conuelli sermone patiar, deducique perpauculis passibus: quippe, cum sit ad nostrorũ temporum rationem recens consuetudo; quòd, si natura efficere sine aliqua causa possit, nõ videmus, quemadmodum tragici poetæ, cum explicare argumenti exitum non possunt, faciunt; confugiemus ad Deum, ad arcanas causas, & proprietates decantatas rerum, in quas tamen inijciens se animus, & intendens ita, longeq́ue peregrinatur, vt nullum finẽ vltimæ rationis videat, sed semper ieiunus auet, quod nequit, intelligere: magna quidem stultitia est, reiecta proximarum causarum speculatione, rerum propinquum Deũ facere effectorem, cum ipse ineffabili prouidentia causas singulorum effectuum singulas à semetipso longinqua remotiorum causarũ serie permanantes statuerit, istæ igitur profectò sunt quærendæ, ne contra diuinos ordines omnem naturæ cursum euertamus, etsi, nullam reperiemus ob nostrę mentis retusam aciem: illud tamen exploratum esto, nihil fieri potuisse, sine causa naturali in rebus naturalibus. O rẽ magis recentioribus, quàm veteribus seculis cõtrouersam, & plenam dissensionis inter doctissimos: sed aliquando tamen iudicandam, quòd, si essemus eo animo, vt nollemus ætatem

tatem

tatem in litibus conterere, posset omnis philosophia conuenire, & aliquando controuersiarum aliquem facere modū; quandoquidem ex ulla non rerum, sed potius verborum discordia, vt plurimùm controuersia nata est ferè omnis. At iam nos nimium nobis videamur declinare, terminos igitur requirere placet, quos Hippoc. Plat. Arist. Galen. pegerint.

De Voluptatis subiecto. Cap. XV.

Exposita iamdudum terminatione causarum, vnde variæ, dissimilesque oboriantur voluptates, ne quid prætermittamus, rationes quoque, cur hoc ita sit, afferendas esse putamus. Equidem in quadam animi, & corporis prauitate constat, & maximas voluptates, & maximos dolores versari: anima quidem sine corpore, & corpus sine anima, & in mutua etiam illa, quæ inter vtrumque intercedit, affectionum communitate, doloribus, voluptatibusque abundant. Harum omnium mistiones, partim ex ęquali dolorum, & voluptatum temperamento conflantur, partim ex alterutrorū excessu. Suntq; mistiones, aliȩ quidem secundum corpus in ipsis corporibus, aliæ verò ipsius animȩ in anima, & rursus animi, & corporis, sic dolores voluptatibus mistos comperimus, & modò quidem vtrorumque commistione voluptates, modò autem dolores appellari. Cum autem tres sint animȩ partes, quȩ voluptates sanè, & dolores suscipere queant, tria quoque eorum genera esse videntur, & quidem hactenus, vt vniuscuiusque vnum sit proprium genus, ita cupiditatum quoque, & imperiorum modi eodem pacto. Partem vnam statuimus animȩ, qua homo discit; alteram qua ira-

Pl. 9. de rep. 180. volup. genera.

irascitur: tertiam verò propter multiplicem, variamq; naturam vno quidem, sibi proprio, & peculiari nomine non potuimus appellare, sed ex ea facultate, quæ in ipsa est, & illustrissima, & potentissima, ei nomen indidimus: concupiscibilem enim vocauimus propter vehementiam, impetumque eorum, quæ in cibo, potu, venere, rebusque huius generis versantur. Verumtamē, quoniam videmus quàm suauiter voluptates blandissimæ dominę sensuum nostrorū sæpè maiorem partē animi nostri à virtute detorquent, transferamus nos ad differentias earum, vt hoc inuidiosum nomē, nedum vitiū omnino fugere discamus. Si igitur voluptas omnia, quæ in expetitione cadunt, comitatur, sane circa, & honestum, & vtile, & iucundum. Verùm circa vnumquodque horum cupiditatum esse possunt duo genera, vnū quidē naturaliū, alterū verò inaniū: naturaliū quoq; item duo, vnum necessariarum, alterum autem non necessariarum. Necessariæ quidem quæ sunt, satiari possunt pœne nihilo, diuitiæ enim naturæ parabiles facilè sunt. Nō necessariæ verò, nec ad potiendum difficile, nec ad carendū. Porro inanes, cùm nec modus vllus, nec finis earū inueniri possit, nec necessitatē modò, sed ne naturā quidē attingant, funditus profectò eijciendæ sunt; Exstimandum est enim in vniuersa natura, nihil immoderatius, nihil magis vagū, atque dissolutum reperiri posse voluptate, & exultanti gaudio, quò fit, vt si voluptatibus, ijsque maximis quem videmus perfruentem, ridicula etiam quidem modestia eūdem hac de causa erubescere cernimus, & occultatas voluptates optare, imo ad noctis tenebras amandare: quasi indecorum sit, lucem res huiusmodi conspicari. Quæ verò sint expetendæ, quæque fugiendæ, & quæ denique neutræ, docent operationes: differunt enim hæ inter sese probi-

tate, & improbitate: vnicuique est autem propria quædã voluptas, quæ suam perficit operationem. At si voluptates perficiunt operationes, necesse est etiam, ex operationibus specie differentibus exoriantur quoq; voluptates specie differentes, nimirum natura, & arte. Earum verò, quæ è natura permanant, aliæ mentis sunt, & proficiscuntur à sensibus aliæ.

Cupiditates legitimæ, & adulterinæ quæ sint. Cap. XVI.

Pl.9. de rep.

ORtum autem uoluptatibus omnibus tribuunt cupiditates, quarum vnum quidem genus germanæ, atque legitimæ purum, atque sincerum, cuius mens habetur iudex, cui etiam soli regnum totius animi à natura tributum est. Duo verò genera adulterinarum, atque falsarum voluptatum, quæ omnes vmbratiles sunt, atq; inani quadam specie personatæ, quoniam in parte animi rationis experte consistunt, in qua motus turbidi, tum iræ, tum cupiditatis, contrarij, inimiciq́ue rationi ponũtur: quòd, si hæc animi pars illa quidẽ feruida, turgidaq;, vt probus filius iusto parẽti, rationi pareret, hæc arma cõtra casus, & aduenientes perturbationes offerret, quibus earum vehementes impetus diuturna præmeditatione frangerentur, siue illæ ante prouisæ, & èxpectatæ essent, siue repentinæ, siue inueterauerint, ita fieret, ut omnia uoluptatum genera laudabilia existerent, atque partes animi rationis expertes, quatenus sua natura verarum voluptatum sunt capaces, verissimas percepturæ essent voluptates, quippe quæ, & veritatem sequerẽtur ducem, & proprias sibi, ac peculiares selegerent: Siquidem id, quod optimum est,

Ar.l.1.de retho.ad Teod.c.11.

est, vnicuique est maximè proprium. Quòd, si irrepserint corporearum cupiditatum labes, nec id quidem cogitantibus hominibus, impotenti postea quadam tyrannide dominantur, quoniam vnaquæque voluptas, tamquam clauo quodam armata, animum corpori affigit, atque quasi fibula, innectit, corporeumq; efficit, eaque vera esse opinantẽ, quę corpus dictarit: quamobrem, quoniam eodem opinionum cõsensu cùm corpore conueniat, ijsdemque delectatur, circumfertur, & tamquam tyrannus effectus summum, quasi fastigium prætergressus legis, & rationis, disruptis vinculis, cum seruis quibusdam, & satellitibus voluptatibus consuescit, easque habet domesticas, & familiares. Præterea in voluptatum cognitione dubitare non dubitamus, quin aliæ per se voluptate afficiant, aliæ verò per accidens: prioris generis, eæ sunt, quæ perficiũt operationes, sunt ẽt talis naturæ, tales iam naturam suã, & consuetudinẽ consecutę Pl.l 2 de legib. *sunt, tales sine dolore, & exuperationẽ non habent. Alterũ aũt genus est voluptatum, quæ veluti medentur, etenim quia fit, ut homini medeãtur, eo, quod sanum permanet, aliquid agente. Modum autem voluptatum, & mensuram si velimus, tenemur præstantissimam ita inuestigare. Primùm igitur ijs voluptatibus, quas consequutura est gratia, illud inesse oportet, vt, vel ipsum illud per se huiusmodi sit, vt omni studio dignũ censeatur (quẽadmodũ consuetudo loquitur) id solùm dicitur honestũ, & dignum, quod est populari fama gloriosum. Vel rectam quandam, aptamque congruentiã ei adesse. Vel certè tertio loco vtilitatẽ. Exempli gratia. Esus, & potus, & alimentum natura omne gratiã habet, quam voluptatem appellamus. Rectitudinem verò atq; vtilitatem, si ad sanitatem confert. Sic in discendo constituendum est, inesse gratiam, idest, voluptatem. Rectitudi-*

 nem

nem autem, atque vtilitatem, & bonum, praeclarumque habitum, quae omnia à veritate ortum habent. Denique in artibus aliquid insit, quod voluptatem consequatur, quam gratiam appellamus, aptam verò rerum huiusmodi, congruentemque rationem aequalitas (vt ita dicam) tanti, talisque potius effecerint, quàm ipsa voluptas. Nonne igitur omnem, seu imitationem, seu aequabilitatem, ex ijs, quae à nobis sunt commemorata statuerimus voluptate, falsaque aliqua opinione minime dijudicandam? sed nullo alio, quàm veritate sola.

De modo ortus voluptatis. Cap. XVII.

AGe iam de modo ortus voluptatis pertractemus, quod maximè erit praeclarum. Voluptatum quidem perpetuam censent alij esse generationē: nullam autem ipsius esse planè essentiam: quippe constat singulas esse generationes singularis, & nascentis multiplicis quidem essentiae: vniuersam autem generationem vniuersę essentię gratia fieri. Voluptatis igitur, si esset generatio, fieret gratia essentię, quapropter non per se, sed per aliud expeteretur, itaque derideretur ille, qui voluptatem Ar. l. 2. mag. mora.c.2. *bonum esse assereret. Eiusmodi igitur non est generatio, vt tendat ad essentiam: sed quadam analogia, obiectis rebus, pars animae, qua oblectamur, quatenus exercetur, & mouetur; allectatur, siue ipsa sit mens, siue irascibilis, siue cōcupiscibilis: nam in ipso motu animę efficitur operatio: operationem autem, tamquam vmbra corpus, consequitur voluptas, quę perficit ipsam; non verò, quia eius fiat verè generatio, neque habitus, sed quadam similitudine, vt quidam finis resultans ex operatione.* Ar. l. 10. eth.c.4. *Hoc etiam modo sensit*

fit Arist. fieri voluptatem. Docet autem exemplo visionis. Persimilis est, inquit, visioni voluptas. Vt enim visio in quouis tempore perfecta est, nihil siquidem ipsi deest, quod post factam visionem species ipsius perficiat. Visio enim tota fit in quocumque tempore; nam quod in ipso nunc fit, totum est quoddã, quamobrem non fit in tempore, ergo neque cum motu, igitur, neque visionis fit vera generatio, neque essentia, sed resultans ex illustrato perspicuo finis. Sic voluptas in quouis tempore est perfecta tota, nihil siquidem ipsi deest, quod post factam voluptatem vlla eius species eam perficiat: tota enim fit in nunc, quod est totum, quapropter non fit in tempore, nec verò igitur cum motu. Itaque patet voluptatem, & motum esse diuersa, & voluptatem ex ijs esse, quę tota sunt, & perfecta, id ex eo ita esse constat, quia moueri quidem in nõ tempore nihil potest. voluptate autem affici in non tempore potest, ex his igitur intelligi debet, voluptatis nullam fieri generationem, nisi fieri dicamus quadam facilioris cognitionis claritate.

Voluptas quorum sit. Cap. XVIII.

Consequitur modo intelligere quorum sit voluptas. Non solùm verò præsentium esse voluptatem, sed etiam præteritorum, & futurorum ex eo cognoscere poßumus, quòd frui est voluptate cum aliquo sensu: & sensus est imaginatio quædam debilis: sed recordantem, & sperantem sequitur imaginatio eius rei, quam recordatur, ac sperat, quoniam igitur hæc ita sunt, patet voluptates inesse recordantibus valde, & sperantibus, siquidem & sensus fit: quare necessarium est iucunda Ar.l.1.re. ad teod. 11.

da omnia, vel in sentiendo præsentia, vel in recolenda præterita, vel in sperando futura. Omnis enim imaginatio memoriæ, intellectusque ope tamquam præsentia cernit, & circa ea operatur. Quæ autem sit præstantior omnium: cũ in omni sensu cernitur voluptas: quoniam est huius disputationis, & temporis, quæramus. Itaque exordior explicare, quòd omnis sensus circa sensibile est operatio quædam, modò tamen sit bene dispositus circa ea quidem, quæ ipsi subijciuntur: in omni igitur genere operationum præstantissima est eius sensus operatio, qui optime dispositus circa id, quod est præstantissimum eorum, quæ illi sensui subijciuntur, tũ igitur perfectissima erit, & iucũdissima operatio, & in mente simili modo, contemplationeve. Constat autem, & maximè voluptatem præstantissimam fieri, cùm sensus est præstantissimus, & circa præstantissimum obiectum operatur: atque quòd, si nimirum sensile, & sensus ita se habent, erit semper voluptas: in hoc enim statu est perpetuò, cùm quod patitur, tùm quòd agit. Inter verò hæc, quæ agunt, & perpetiuntur, noua quidem magis delectãt ab initio, quia, scilicet sensus ea iucundiùs contrectant, & circa ea diligentiùs versantur, quamobrem maiori etiam suauitate mouentur, deinde non similiter, quoniam, satiatis, & expletis, nullum relinquitur desiderium, nec verò ulla accidit passio carentibus, & non fruentibus, illa enim solum, quibus abundè non potimur, auemus, siquidem ob id desideramus, quoniam caremus. Præterea vicissitudo, & varietas delectat plurimùm, quia fit mutatio circa naturam, tum verò augetur, amplificaturque voluptas, atque omnis leuis expectatio, & admiratio, & improuisi exitus habent aliquam in sensibus voluptatem, etenim delectat quidquid est admirabile, maximeque ea, quæ suauem motũ

ali-

aliquem animi, corporisve miscent, veluti noua; delectatio enim inde exoriatur necesse est, quoniam nullam habet cum delectante communitatem ab initio, sed, vt sensim delectantem inuaserit, & mox complexus fuerit, eique penitus inhæserit, unum cum eo quodãmodo efficitur, veluti omnino simile, atqui iampridem ostensum est, vnum fieri non poße, & idem patiatur, & agat, voluptas autem operationem perficit, & propterea nullæ continuæ videntur eße poßè voluptates, quia neque humana queunt continuè operari, & perinde voluptas non continuè fieri potest, quoniam cõsequitur operationem, tamdiu igitur ad sui similem propagantur voluptates, quandiu causæ eædem permanent: reciprocantur enim ista. Si operationes iucũdæ sint, voluptates sunt, & voluptates sunt, sint operationes iucũdę, quãobrẽ ad propagationem unius neceße est, alterius quoq; vt adsit consequentia. Quinimo admirabile videtur, rectè dictum: nullã voluptatem eandem semper delectare, quãquã videatur gaudere nos posse tãdiu, quamdiu licet præsentẽ sentire, & prospicere aduenientem, & præteritam è memoria pręterfluere non sinere. Itaque perpetuis, & contextis voluptatibus frui possemus; cùm expectatio speratarum, præteritarum memoria, præsentium fruitio iungerentur. Verùm id non accidit, quia non est simplex natura nostra, sed inest & aliquid aliud, quo corruptibiles sumus, quare si quispiam agat pro sua natura aliquid, id est alteri naturæ pręter naturam, quod, si fieri posset, vt alicuius natura esset simplex, semper eadẽ operatio iucũdißima erit. Quòd, si hæc ita haberent. Homini sitienti aqua continuò esset iucundißima, si eius natura simplex esset, sed quia ipsius natura ex frigido, & humido, calido, & sicco est coagmentata, propterea non semper aqua delectat, quamobrem

rem

rem ex his intelligi par est. Homines varijs, & alternis gaudere voluptatibus, quoniam, ex nedum varijs, sed etiã contrarijs componantur principijs. Nunc, si calidum, frigidum, humidum, siccum pari tributione in nobis animantibus consisterent, profecto quadam cupiditatum ęquilibritate ijsdem voluptatibus continuò fruerentur, quò fieret, vt similia semper cõcupiscerent, & illis cupidè lętarentur, nec huc, illuc circumferrentur. Verùm, si horum vnum, aut plura, vel exuperationem adipiscerentur, aut inęquabiliter commiscerentur, tum corpora nostra, tum dolent, tum varietatem cupiditatum consequuntur, quippe naturę tributio dissoluitur, & voluptas in vim conuertitur, quare nil mirum, quin est consentaneum, vt exuperatione calidi, & sicci, frigidi, & humidi desiderium innascatur, sic, sicci, & calidi exuperatione amputata, aquæ potione depulsa siti, cũ amplius aqua nõ delectet, nouę suboriuntur cupiditates. Ita natura, alterna rerũ vicissitudine fatigata, varijs noua sensuum suauitate recreari auet voluptatibus, quòd, si excellentem initiorum, quibus constat, consecuta esset tributionem, sicut nullis frangeretur molestijs, atque, tamquam in ęquilibritatè collocata, beatè degeret, sic nulla cupiditatum varietate impelleretur, sed vna voluptate perpetuò esset contenta. Itaque, vt quisque optime constitutus, temperatusque est, ac quasi quodammodo vnum effectus nõ habet, vnde doleat, sic, pręterquamquòd temperationis vitijs omnino caret, & integra prorsus valitudine, viribus, & lacertis pollet, nullis etiam cæcis rapitur cupiditatibus, quibus fractis (quod est excellẽtis virtutis) eximias, magnificentissimasque operationes edit, quas etiam pręstantissimæ voluptates perficiunt. Ad hoc respexit magnus Hip. dicens. Mea verò sententia, si homo esset unũ

num-

*numquam doleret, neque enim eßet a quo dolorem percipe-
ret, si homo vnum esset, si verò dolebit, necesse est etiam nō
vnum esset. Quis ex his non videt simplicia non varijs
delectari desiderijs? ex hoc satis significatur, quantum sim
plex natura in omni re vincit compositam, sic omnem nu-
merum vincit vnitas, sic hæc transferantur ad victum,
quòd paruo cultu sit simplex natura, & proinde simplex
tutior victus ad vitam, quamobrem par est, naturam unā
consentientibus solùm, & vnis moueri rebus, itaque unas
voluptates vna naturæ diligant, asciscantque sibi, quasi
propinquitate coniunctas, atque natura. Quam ob causam
sane constat Deum solùm vna eminentissima semper, sim-
plicique, immutabili, sempiterna gaudere voluptate, quia
simplicissima, immutabilis, perfectißima, sempiterna est eius
natura. Ex hac ratione nobis uidetur bene ueteres cognouis-
se, non esse tantūmodo mobilitatis operationem, sed potius
immobilitatis, & in beatissima stabilitate voluptatē consi-
stere excellentißimam. Quin mutatio, si dulcis videretur,
est quidem secundum poetam ob prauitatem quamdam, vt
enim homo flagitiosus, & malus facilè est mutabilis, sic na-
tura flagitiosa, & mala, est ea, quæ indiget mutatione, quo-* Hip.l.1. de natu. hum.t.6.
*niam longissime sit ab excellentis forma disiuncta, ob id, nec
simplex, nec bona, nunc autem in mala, & composita natura
multa habentur, quæ necesse est, vt à se mutuò præter natu
ram patiantur, & agant, quare plures etiam voluptatum
species, plures item dolorum in ea oriuntur: quò igitur na-
turæ magis concretæ extiterint, & pluribus abundauerint
contrarijs, eò difficiliores ad permanendum, ad fungendum
vitæ muneribus, ad quod necessariò etiam consequitur, vt
harum innumerabiles sint cupiditates, & ob id quoque uo-
luptatibus numquam expleātur. Deus autem cum sit mens*

soluta quædam, & libera, & segregata ab omni concretione mortalis; ipse quidem immobilis omnia mouens nõ cum labore, vna, & quidem infinita delectatur operatione, & consequenter vna etiam infinita fruitur voluptate, reliquæ naturæ, quæ caducæ sunt, & fragiles, quoniam, quę mouẽt, cum labore moliuntur operoso, celeriter defatigantur, quò fit, vt omnibus satientur voluptatibus, quamquam tantos nobis dedit natura igniculos, quos, si nos quidem malis moribus, opinionibusq́ue deprauati non restingueremus, sed eos cum innatis seminibus virtutum adolere studeremus, proculdubio eas solummodo consectaremur voluptates, quas ipsa natura moderatas indidit, nimirum, vt nos ipsos diligeremus, statum nostrum conseruaremus, tum nullis imbueremur erroribus, sed vanitati veritas, & naturæ confirmatæ falsę opiniones cederent, vnde ipsa nos ad longinquam, & quasi beatam vitam natura perducere queat, nam facilè cæterarum voluptatum motus turbulentos contemneret, iactationesq́ue animorum comprimeret, non ita verò distraheremur in contrarias partes, nec ocius, fessi rerum, fatisceremus.

Voluptates corporeæ quæ. Cap. XIX.

NUnc sermoni reliquo danda est opera. Alias diximus esse voluptates animi, alias corporis, illasq; in intelligendo, has in sentiẽdo collocatas esse; rursus primas, purißimas, neque vlla corporis ope egere, vt fruantur, quin quàm maximè mentem à corpore abducimus, excellentiùs ijs potimur, alteras, sensuum captu percipi. Cùm autem voluptates, quæ corpus non titillant, atque commouent, ad vnam immortalem animæ partẽ spectent,

ctent, quis negare audet, quin hę ex diuinarum, humanarumque rerum, tum initiorum, causarumque, tum cuiusq; rei scientia exoriantur. Equidem sapientia ipsa, quæ in mente reperitur, horum omnium contemplationem assequitur. Oportuit igitur his prę stantissimis rebus, quę erãt intelligendæ, singularem quandam vim seiunctam à terrena, mortalique natura caduca, & concreta accommodare, cui nihil sit admistum, nihil copulatum, nihil duplex, eiusmodi autem est hominis mens, quę vim memorię, cogitationis habet, quę & pręterita tenet, & prouidet futura, & complecti potest pręsentia. Earum verò, quę maximè sensus nostros impellunt voluptates, alię specie prima acerrimè commouent, alię molliores sunt, & delicatiores, vt ex mollioribus, & delicatioribus principijs permanant: ad has omnes capiendas, & perfruendas, pluréis etiam sensus natura fabricauit congruentéis, siquidem ex voluptatibus illę sunt gratissimę, quarum operationes sunt sensuum substantię maximè consentientes. Atque in vnoquoque condidit suam cuiusque virtutem, vt ne quid impediat, quominus sensus quisq; suo munere fungatur in ijs voluptatibus celeriter, expediteque percipiendis, quę subiectę sunt sensibus. Veruntamen, quoniam voluptates vniuersæ, vel lumine, splendore, vel sonis, aere, vel halitibus, odoribus, vel aqua, saporibus, vel solido terreno corpore, tangilibus qualitatibus sentiuntur: propterea tantos sensus, qui similitudine substantię ijs omnibus responderent, fabricata est, quanta voluptatum percipiendarum essent genera. Itaque perlucidioribus, & splendidissimis tribuit oculos, ipsamque aciem, qua cernimus, & quę pupilla vocatur, luciferam exędificauit, cui etiam tantum ignis illigauit, vt lumen proprium posset prębere, vt, quę splendore

cernuntur, specularetur, nimirum picta, ficta, celataque, colores, figurarum venustatem, & rerum decentiam. Concẽtus, & sonos, ad illum sapientem locum vt peruenirent: vim sentiẽdi auribus indidit, quę motiones, quarũ ictibus aer percuteretur, recipere debeant, atque admirabili quodã artificioso iudicio iudicarent sonorum varietatem, interualla spatiorum, quasi demensa, & horũ genera permulta. Halituum, omniumque odorum iudicium magnum, vt nares facerent, locum propè diuinum delegit. Qui verò eorum, quibus vescimur, genera sentire deberet, adhuc terrenum magis gustatum effecit. Postremò tangibilia, quoniam duriora sunt, & toti corpori occurrere debent, vt omnia exciperet, ac vitaret, tactum in toto ipso vndiq; fudit, vt omneis ictus, omneisque nimios, & frigoris, & caloris, & siccitatis, & humiditatis, & grauitatis, & leuitatis, & duritiei, & mollitiei, & lentoris, & fragilitatis, & asperitatis, & læuitatis, & crassitiei, & tenuitatis appulsus sentiret. Ex motibus igitur, qui ab his omnibus externis proficiscuntur, illi, qui ad mentem deferũtur, sensibus expositi sunt, qui verò sub perceptionem non cadunt, sensuum comprehensionem effugiunt, siue, quòd corpora sensuum, quæ afficiũtur, magis sint hebetiora, siue, quòd motus sint imbecilliores, quàm illos percutere possint. Quicunq; tamen ex ĳs motibus, qui naturam excedunt, dolores pariunt, quicunque verò ad ipsam corpora restituunt, voluptates pariunt, & nominantur. Cùm autem perpetuò appareat, quòd quæ tenuiũ sunt partium promptiùs sua natura agant, quàm ea, quæ crassarum, icircò fit, vt talia faciliùs moueantur, & moueant, tamen illorum quidem vestigia, quasi in cera molli imprimantur, celeriter in auram abeunt, harum verò vestigia, quasi in celte insculpta in

sen-

sensibus diutius permanent. Eadem ratione sensuum, quę magis, minusuè terrenioris substantiæ natura effinxit, ille etiam signatarum rerum vestigia, aut serius, aut ocius cõprehendit, & comprehensa, vel diutius retinet, aut citius dimittit. Quamobrem oculi, splendidissima omnium effecti materia, expeditius plurima conspicientes suo funguntur munere: quippe omnium sensuum maximè cognatione substantiæ splendore excitantur, vt autem celeriùs voluptates excipiant, & illis gaudeant, sic etiam minus delectentur, & velociùs priuentur. Maiori autem voluptatum suauitate, vt serius, quàm oculi, capiũtur aures, sic ẽt craßioris sint substantiæ, consentaneũ est, & perinde quemadmodũ paullò difficile suscipiuntur, ac altius: ita quoq; diutius durẽt, ac ægrius diffluãt: natura quoq;, quæ concentus, & sonos continet, & defert, quantò splendore est craßior, tantò debebat oculis elegantia, atque præstantia esse inferior. Naribus autem sensum tribuit natura, & cum manifestiori iucunditate acceßum ad voluptates salutares odorum, à pestiferis receßum, ob id etiam earũ compages craßiori substantia coaluit, quoniam halitus, non tam puros, perlucidos, mobiles, ac splendor est, & aer, recipere deberet: in ijs igitur, in quibus est odorandi vis, hæc inesse oportet, vt voluptates magis quidem vigerent, & retinerentur, quamuis halitus minus splendore, & sono apti sint ad sensum mouendum. Iã verò natura gustatum, qui est sensus ex omnibus magis voluptuarius, quoniã eius uoluptates escis, & potionibus continerentur, quæ omnia concretis humoribus constarent, ac numero ferè innumerabilia, eo corpore esse voluit, vt reciprocatione quadã, substantiarum cognatione sese vicißim appeterent, vt autem multò angustius huiusmodi voluptates recipiuntur, quasi tãquam

quam

quam imagines, quæ difficilius, in solidiori materia insculperentur, sic etiam aptiores sint ad permanendum, quò fit, vt in illis eximia sit iucunditas, atque suauitas. Restat quintum voluptatum genus, quod magis corporeum est, ac terrenum; quo, cùm totum corpus vndique consultrix, & prouida vtilitatum, opportunitatumq́ue omnium natura, frui vellet, perinde sensum solidi corporis generauit, atq́ue vniuersum corpus eo vestiuit, & sepsit, & quamquã suaquemque sensum voluptas agitat, suauitasq́ue afficit, tactus tamen iucunditate præter reliquos sensus cõmouetur, tum quia suę voluptates toti corpori sunt communes, tum etiam, quia plurimos quoque, tamquam deliciarum satellites, habet neruos ad vltimas vsque corporis oras pertingẽtes, delectamenta vera voluptatum, quibus profecto nihil magis est, quod solidum tenere, nihil, quod referre ad iucũditatem corporis, possis; vbi enim tantum in vi sentiente est roboris, & virtutis, vt propter nimiam specierum titillationem vehementissimè recipientia corpora commouerentur, ibi etiam voluptatum corporearum verum domicilium, impulsu desideriorum, cupiditates collocauerũt, quod, vt est cęteris accliuiori aditu, atq́ue minus patentiori, ita etiam maiori gratulatione, & lętitia delectatur; neq; enim in basi ęnea quicquam incidi facilè potest, incisum tamen difficile sit, vt demoliatur: Et propterea nullam, quoque capitaliorem pestem quàm veneream voluptatem homines experiuntur, nam eius potiundæ auidæ cupiditates temerè, & effrenatè incitantur propter eximiam vim earum partium, quæ tàm dira libidine inflammatas, & furentes sentimus, quòd ex eo intelligitur, quia rari, qui nedũ integros, & castos sese ab his reuocaßent, sed etiam rari eius fruendæ modum fecere. Horum omnium gradus ita inter se distinguun-

guuntur. Quantum splendor aëre est tenuior, sic concentus, & soni splendidis imaginibus sunt crassiora. Quantùm verò aer subtilior sit halitu, sic odores tantùm sonis, atque concentibus infuscantur. Quantò etiam halitus sunt humida natura tenuiores, sic tantò sapores odoribus sunt crassiores. Quantùm quoque aquea natura tenuior est terrena, sic tantùm tangibiles voluptates sunt gustabilibus crassiori prædita substantia. Tangibiles denique, & solidæ compagines densiorem infra se non habent naturam. Sed, quantam vim habuerit natura ad excipiendum omne voluptatum genus, tantam par est ipsam dare lucem, qua intelligamus, cur ab ijs maximè voluptatibus, quibus specie prima acerrimè sensus delectantur, ipsi celerrimè fastidio quodam, & satietate allienentur; item cur ijdem nimia voluptate perfusi, quodammodo retusi, quasi restinguãtur, quod quidem menti non accidit, namque quantumvis maximis voluptatibus ipsa vnquam satiatur. Jam verò ex hoc vno argumento, qui eam immortalem non esse perspicit, ea mihi videtur carere. Cùm igitur nemo possit esse homo, in quo non, & appetitio sit, & declinatio naturalis, non fieri potest, quin omnis homo appetat quædã, & refugiat à quibusdam: appetuntur autem, quæ secundum naturam sunt, & declinantur contraria, nec verò potest ipsa vllo sensuum iucunda accipere, & non accipere contraria, vnde necesse est, vt voluptas, & dolor naturam sequantur, illa autem quidem delectetur, hoc verò prematur. Quemadmodum autem sensus perfundant, tamquam illequefactæ voluptates primò, deinde cur, cùm amplificatæ sint, & modum naturalem excesserint, offendant, & occidant, vt intelligamus, hàc incedendum est. Pluribus quidem generibus sensus fruuntur voluptatum, quibus, quasi titillantur,

tur,

tur, quousque ludunt, tum ipsi omnia attingunt, & sentiunt, quia in omnium rerum formis versantur. Equidem alia voluptas suauitate auditus animum delenit, qualis autem est hæc aurium, tales sunt oculorum, & tactionum, & odorationum, & saporum voluptates, harum verò operationes, maximèque imagines earum rerum, quarum species sensibus influunt omnibus modis confusæ, & admirabili varietate ante eos oberrant. Quæ namque adspectu percipiuntur, ea blandiuntur oculis iucunditate, ea quæ gustamus, olfacimus, tractamus, audimus, in ea ipsa, vbi sentimus, parte exponuntur. Ita verò imagines traducunt ad sensus voluptatem, cùm enim infinitæ simillimarum imaginum species ex innumerabilibus indiuiduis existant, & ad quosque quæque affluant sensus, in eas imagines ipsi sensus intenti, infixique, iucundi, & lætissimi redduntur, & siquidem sine intermissione harum appulsu sensus pulsantur, gaudia ingeminantur, nec vnquam eos delectationum experteis esse sinunt. Fit autem, ut cũ aliquando innumerabiles simillimarum rerum imagines ad sensus deferantur, tùm etiam ipsi maximis voluptatibus, & sempiternis, vel exultantes, nisi secundum naturam ipsæ sint, efferantur. Quòd si vel cibum, aut quas potiones, aut quas vocum, sonorum, aut florum varietates, & omnium visibilium, aut quas tactiones, quos odores ipsi sensus propter naturam, ut se conseruent, expetant, & suscipiant: quid eo dici, aut excogitari poterit beatius? nam sensus, si ita regentur, ipsi instrumenta erunt ad obtinendam, adipiscendamque sapiẽtiam. Verùm, si propter alias res voluptates à sensibus expetuntur, à virtutis obsequio illi quidem discedent, labemque omnem dedecoris subeunt, atque omnem spem, societatemque bonorum naturæ eijcient. Influunt autem volu-

pta-

ptates ipsæ primò, veluti latenter, in ipsorum sedibus, in ijsque vestigia ponunt, quibus nouarum imaginum appulsu titillatis, deinde altiùs descendunt, tamquam radices sint acturæ: hinc fit, vt sensus ad reginam animi partem, cuius ipsi interpretes sunt, & nuntij, omnes cunctarum voluptatum imagines deferant, quocirca veriùs dicere possemus animum, & videre, & audire, & odorari, & gustare, & tangere, atque vna comprehensione tam præclaro iudicio res dissimillimas cōplecti, nimirum, tāgibilia, colores, sapores, odores, sonos: Numquam enim tanta animus cognosceret, nisi ad mentem ipsi quanta referrent, vt ea omnium iudex esset, quinimo ea, quæ a rerum essentia sunt profecta, quò à facibus corporum puriora extiterint, eò dilucidiora cernit, vt ob id ēt ipsa, & sensibus, & mēti sunt lętiora, modò tamē voluptates naturę appetitū nō excesserint, quòd si excederent, tum omne sensuum robur restinguerēt, vt nusquā naturæ lumē appareat; dum enim adolescunt simul, in omni continuò prauitate, & in summa versantur peruersitate, vt pæne ipsarum voluptatum blandimenta, quasi lac nutricis, suxisse videantur, ita diuturna consuetudine tādem mētem ipsam, tamquam subornatam, varijs imbuunt erroribus, sic ipsam planè dolo, malaque arte opinionum prauitate inficiunt, atque à natura denique ipsam desciscere cogūt, vt nobis rectam rationem inuidere videantur. Quòd, si mens inter tot sensuum errores integra fortasse permaneret, tū quendam naturalem modum præscribit, & aliquid dandum uoluptatibus censeret; nimirum condimenta vitæ: vt enim copia diffunduntur, sic ēt frugalitate contrahuntur: multarū verò blanditijs nō facile obsisti potest, itaq; diuinus Plat. escam malorum omnium voluptatem appellat, quòd ea videlicet homines capiantur, vt hamo pisces: Nec

verò sensus nostros aliud, quàm eorum cum voluptatibus consensus, abducit à virtute: Siquidem illæ, ubi in omni sensu longa consuetudine implicatę, insident, primùm corpora desidia, languore, delicijs inficiunt, postremò animis tendunt insidias. Ex hoc sermone, sine ulla dubitatione perspici potest, cur sensus maximè maximis uoluptatibus, quibus etiam flagrantissime ardent, citò satientur: nimirum, quoniam nimis acriter titillantur, quò illis fruantur, atqui ad tantam tantarum voluptatum fruitionem necesse est, ut auidiùs spiritus effundãtur, ad quod consequitur, ut copiosiùs ipsi, quàm gignantur, dissipentur, & perinde, oẽs naturę facultates aliquando sensim, aliquando confertim exoluãtur: Ex quo intelligitur, diligenter tenendũ esse voluptatis fruendæ modum. Nam cuique in ea voluptate intuenti, quæ sensum mouẽdo, cæteris dulcedine præstat, & ob id illi reliqua iam cedunt, ac veluti fasceis summittunt; in mentẽ uenit vereri ecquodnam curriculum aliquando sint habituræ voluptates admirabiles, & exquisitæ, cum subitò in vehementissima omnium, tum omnia gaudia concidant, tum etiam naturæ vires euanescant. Equidem in maximis voluptatibus perpetuum, & eumdem spiritum natura obtinere non potest, nam, dum nimia lætitia voluptates gemmant, tantùm hauriunt spirituum, vt ipsi reddantur angustiores, nec iam sustineant, quasi onus, vires laborantes. Itaq; natura ipsa labore, & fatigatione frequenti fessa, eas refutare videtur. Etenim geminatio, & crebra specierum repetitio immoderatè sine intermissione spiritus lætãtes ab initio haurit, & debilitat; mox earũ densiori adiunctione; progressioneq;, et cõcursione, quodã nimio, veluti torridus, amore, calor innatus restinguitur. Est autem gradatio in vnoquoque sensu quædam, & conuersio, & voluptatum

con-

cōcinna transgressio, quæ naturam fouet, auget, & tuetur, contraria uerò, & dissoluta, iam præcipitans, deceptum sensum, naturam quoque agit præcipitem. Itaque singuli sensus, cùm voluptatum intolerantia grauiter excipiuntur, primùm iactantur, postremò, & dolenter sensim afflictæ, & prostratæ eorum virtutes videntur. Lætantur autem illi sensus, quibus ritè abundantiùs affluunt spiritus, ijs verò affluūt aptiùs, qui è naturæ præscripto gaudent, quorum etiam imagines menti ab ipsis delatas mens ipsa lætissimè capit, vt ex hac voluptatum mistione cum corpus, tum animus fruatur. Sed, haud sciamus, an acerrimus longe sit omnium motus maximarum voluptatum, nec minus prudentiæ opus sit in eis comprimendis, quàm excitandis. Conclusa iam sit nobis hæc ratio, si prius adiungamus, quòd, cū sint duo in voluptatibus pręcipua genera, quorum alterum lene, alterum vehemens esse solet, & ex illo leni concilientur mediocria gaudia, & delectationes, ex hoc verò vehementia: ad illud quidem natura iucundè fertur, quoniam lenes voluptates, & si plurimæ sint illecebræ turpitudinis, tamen habent quoddam naturalis boni, lenitate sunt enim, & suauitate delectantes, quia verò spirituum ampliori copia non egēt, explentur, & diutius durant, & quamuis vtilitatis certe nihil habeant, nihilominus ab errore mētis, tamquam salutare aliquid, asciscuntur, quasi ex temperantiæ, & naturæ legibus amentur. Ad alterum verò genus vehemens ualida, furentique cupiditate sensus feruntur, quia verò ardentiori permotione aguntur, citius fastidiunt, ad hanc autem sedandam iacturam, vt ea fuerit iniquior merces periculi, sic maiori opus fuerit prudentia.

De Saporibus. Cap. XX.

AGgrediamur propiùs opus magnũ, quod, vt ad rectã ciborum cognitionem magis pertingeret, propterea disputauimus de toto iucundi genere, uescimur.n. ijs rebus, quæ voluptuosum motum afferunt sensibus, sine quo, nedum alimenta, sed vlla rerum genera, quę in mortali vita versantur, metiri possunt. Ne qua verò pars præterita esse videatur, omnia sane, & limanda sunt politius, & accuratius tractanda: præsertim cùm hæc cognitio longè cæteris medicinæ studijs antecellat, maximè enim, cibo quo vterentur homines, intereße plurimùm ad mẽtis aciem sapientes omnes putant, quod ex eo perspicitur, quoniam, ne mente quidem, rectè vti possent multo cibò, & potione completi. Quamobrem omnis illa antiqua medicina sensit in vna frugalitate esse positam incolumitatem sanitatis, cui etiam adiunguntur corporis cætera, quæ ad honestarum actionum vsum pertinent, siquidem virtus continentiæ est vna altißimis defixa radicibus, iccirco eos conspicimus, qui carent omni in victu vitio, non solùm lætari bona valetudine, sed etiam vires, lacertos, quamdam quoque suauitatem coloris esse consecutos, atq; diutißimè, nullis morborum casibus iactatos, viuere, eos verò, qui se ingurgitant, ante tempus, & aliquando nulla pręstituta die, eripere ingluuiem, & voracitatem. Per quàm igitur diligenter peruidendum est id, quod in hoc loco quærendũ maximè proposuimus, nimirũ, vt quanta benignitas naturæ tam multa ad vescendum, tam varia, tamque iucunda gignit, ea acutißimè sint tractanda, quò narrata, & patefacta qualia sint, penitus cognoscantur, aut breui nota iniecta, in aliqua insigni ad cognoscendum notitia reperiantur. Cu-

lus rei tantæ, tamque difficilis facultatem nos consecutos non profitemur, sed secutos esse Hipp. Gal. Ar. Plat. prę nobis ferimus, nec enim fieri pŏt, quin hac rŏne philosophantes non aliquid certi habeant, quod sequantur. Exordium igitur rei demonstrandæ à saporū cognitione repetamus, hinc enim necesse est exordiri, nam sine saporum intelligentia nulla, aut exigua veritatis lux apparebit, sed, his cognitis, multò faciliùs alimentorum naturæ cognoscentur, quibus si adiunxerimus primarum tangibilium affectionum notas, iam non coniectura, sed oculis, manibus, ac tactu tenebuntur: vt aceruatim ostendemus, cū ad signa numquam ementientia, quæ propiora sunt huius intelligentiæ, & adiunctiora, sine errore peruenerimus. Interim rebus præsentibus opportunè vtamur, & quod nobis primum offertur, ab Aris. accipiamus. Sensu, inquit ipse, animal ab eo, quod animal non est, distinguimus, & separatim, ac singillatim, tum tactum, tum gustatum, necessariò ad omnia adhiberi animalia. Tactum quidem adiungi: quia, animal omne cùm sit corpus; & corpus omne sit tangibile, tangibile verò sit id, quod est sensibile tactu, consequens est, vt animalis corpus uim habeat sentiendi, tangendo si debeat animal ipsum conseruari. Gustatum verò addi, quia quidam tactus est; sit enim alimenti sensus, at alimentum corpus est, quod tactu percipitur, quamobrem necesse est, gustatum ipsum tactum quemdam esse, quia rei tangibilis, ac nutritiuę est sensus. Hi igitur duo sensus neceßarij sunt animali, at cæteri boni sunt gratia, & ad ornamentū. Equidem de hoc, atq; de saporibus, quàm præclarè poterimus, dicemus, quia horum adiumento maximè ipsa alimenta, suasque vireis secernemus. Iam multa verò nobis saporum blandimenta natura ipsa genuit, vt interdum eorum nimia varietate,

L.3.de anima c. 12.

ac

ac iucunditate, non modò lubrica, incontinens ætas, verùm quoque iam corroborata temperantia capiatur, non igitur mirum, si immoderata vita insistere, aut ingredi sine casu aliquo, & prolapsione vix possit, quamobrem, si quem inuenerimus, qui eas omnino aspernetur, huic homini Deum propitium credendum. Propterea hominis natura custos omneis sapores voluit ex dulci, & reliquis concrescere, ne alimenta, vna nimis exultanti dulcedine prædita, nec vllo alio coercita sapore, corpora nostra fastidirēt, ac diuturniori contrectatione, quasi violenta iucunditate, omne robur exoluerent. Iampridem enim ostensum est, maximis voluptatibus fastidium esse finitimum. Vt enim balnea tepentium aquarum, quamuis summè delectent, sic & ipsa, longinquitate tamen voluptatis ingentem spirituum copiam dissipando, naturæ facultates debilitant. Tanta igitur saporum genera dulci pro condimento, & cibi commendatione ad vitam admiscentur: hæc enim distrahunt, quominus dulce magnopere alat, & redundantem nimis habeat facultatem. Saporum autem alij ad alios referuntur, pinguis quidem ad dulcem, salsus verò, & amarus idem fere sunt. Austerus, acris, acerbus, & acidus mediocritatem tenent, & quemadmodum dulcis, & pinguis sunt redundantia, ita salsus, & amarus orbitas, aut egentia sunt in alenti humore. Quanta verò saporum genera in rerum natura coaluerint, in quadam insipida natura, & eorū experte, necesse est, vt suscipiantur, cuiusmodi quidem esse aquam videmus, quamobrem rectè philosophi dicunt. Aquā esse talem, qualis est terra, per quam fluxerit, est autem aqua susceptrix saporum, quia ipsa diuisibilis, & fluxilis per terram omnia saporum genera continentem influit: æquè verò, siue dulci, siue amaro, siue pingui, siue salso, siue

acido,

acido, siue adstringenti, siue acri, siue pluribus, siue deniq; omnibus oblita linguam allambit, quæ sua natura apta est à contrarijs affici. Ad saporum generationem progrediamur, ac interim sciamus, quòd, cùm nihil absque humiditate saporis efficiat sensum, ob id necesse est, quod eius vim induit, idipsum modicè humidum, aut talis existat, aut existere possit. Inde autem rem ita se habere constat, quoniam gustatus est humidus potestate, & à gustabili humidus actu redditur: Cuius verò habemus signum numquam ementiens, quòd lingua, aut valde sicca, aut valde humida, non gustat: Iam verò satis nũc explicetur, aquã in se ipsa omnia saporum genera permista habere aptã esse, quia natura sua exigit, vt fatua, & insipida sit, & ob id mutari, ac ab aliena re alterari. At huius ipsius rei, quam saporem vocamus, diuersum ab aqua, a calore probari oportet, tunc enim, quid saporum naturam sequatur plane intelligemus, nec verò est id difficilè demonstrare. Siquidem aqua sola, quantumcumque incalescat, & efferuescat, non crassescit, at verùm cunctæ saporum naturæ crassitie quadam magis tenentur. Promptum igitur dictu est, quæ nam causa, cur aqua contineat saporum genera, cùm videamus eam omneis suscipere sapores eius terræ, cum qua habet commercium, quod quidẽ in salsis aquis potissimum experientia declaratur: sal enim quoddã genus terræ est, pariter aqua, quæ per cinerẽ transmissa colatur, amarum refert saporem, cum amarus illè sit, quæ sane ratio alijs quoque aquis probatur. Salientes enim aquæ reperiuntur, quæ tũ amaræ, tum acidulæ sunt, tũ alios cuiusque generis sapores continent. Denique quemadmodum, qui in aqua res coloratas, aut sapidas eluunt, efficiunt, vt eosdem plane colores, saporesvè ipsa imbibat: ita natura sollers terrenam partem, & siccam aqua eluit, atq;

vbi

vbi hanc siccam, terrenamque partem percolatam vi caloris exagitauerit, quamdam aquæ communicat qualitatem, quam saporem dicimus, qui aptus est ad educendum gustatum ex potestate ad actum, & tunc sensus ad functionem impellitur. Quamobrem intelligere oportet, sapores non cuiusque siccitatis, sed gustabilis duntaxat esse sobolem, quia nec siccitas absque aqua, neque humiditas sine siccitate gustatum commouere potest, siquidem nulla harum animalibus alimentum præbet, sed simul vtraq; mistæ. Cuius rei arbitramur causam quæri oportere, ac ex intima philosophia hauriendã putamus: hanc igitur rationem tenebimus, si sinceritatem saporum tantam habere vim ostenderimus, vt nedum vllus sincerus sapor animalia nutrire, sed etiam non L.3.de tē pe.c. 14. 15.16. *reperiri queat, hoc igitur ostenso, omnem obscuritatem sustulerimus: itaque intelligere par est, quòd, si sapores reperirentur sinceri, necesse esset, vt ab vna qualitate manarent, quòd si ita haberet, ad hoc sequeretur, vt ea in summo foret, in quoque enim genere ad vnum quoddam primum sistendum est. At, si in nullo sapore nulla summa potest esse qualitas, ergo neque etiam vna sola. Sed, ne quid prætermittamus, exemplum quoque, cur hoc ita esse putemus, afferendum iudicamus. Initio ita constituto. Vllum corpus vnum sincerum nullum effectum edere posse, quod si verum est, quemadmodum iampridem ostendimus, cur plures etiam in quoque corpore etiam, quasi incomprehensibili modo, sint sapores, facile erit demonstrare. Austerus igitur sapor, videamus, an solus consistere possit. At si solus esset, summus idem necesse est, vt esset, verùm si non summus, sequitur, quòd neq; etiam solus. Quam enim proposuimus adstrictionis generationem, etiam si solam, citra alias affectiones inesse cogitemus, summa hæc sit, necesse est: quomodo,*

do, si sola corpori cuipiam caliditas summa inesset, id ignis vtique foret. Sed neque ignis, neque terra, neque aqua, neque æther, quoad talia sunt, & sola, quicquam efficere, aut perpeti possunt: si enim esset vnum, ipsum nũquã moueretur, cum altero eßet opus, à quo motionem perciperet, nunc verò quoad in vnoquoque elemento qualitas cõtraria inest, eatenus omnia afficiunt, & afficiuntur. Nam contrariorum mistiones, dum summitates frangunt, agunt in sese vicissim, & patiuntur. Atque earum, vbi factæ sunt mistiones, in similaribus quidem corporibus frigiditatis, caliditatis, humiditatis, siccitatis omnes differentias procreant, in dissimilaribus corporibus eædem mistiones, acrimoniam, aciditatem, adstrictionem, dulcedinem, amaritatem, salsedinem, aquositatem, & unctuositatem pariũt. Itaque ex his, quæ dicta sunt, sequitur, nullum saporem solum, nedum alentem, sincerum inueniri posse. Cùm verò iam traditum sit à philosophis veteribus, & medicis, qui quasi officinas instruxerunt sapientiæ, vnamquamq; similariũ partium in se non multas, sed e cõtrarijs unã qualitatẽ obtinere; corpora verò dißimilaria cõplures: & saporẽ nõ in similari, sed in dissimilari corpore inueniri, & sentiri, conclusum erit sane nobis sapores omnes simul conuenire posse. Nam, si mille (vt G. exemplo vtar) vno in cyato succi partes contineantur, fieri potest, vt centum adstringant, sexaginta mordicent, sexcenta sint dulcia, ducenta amara, quadraginta salsa sicque mutua mistione temperata hæc omnia sint, vt partem nullam sensibilem accipere sit, quamtumuis paruam, quæ non sit omnium particeps. Sapores verò cùm gustabiles sint, gustabilia autem sint quædã tangibilia, propterea medio corpore externo, quo sentiantur, non egent: neque enim tangibili medio externo, quò

[Margin notes: H. l. 1. de hu. nat. t. 5. — l. 3. sim. med. c. 16 — Ar. l. 3. de ani. c. 10. — 4 de sim pl. f. c. c. 2.]

percipiatur, opus est, quocirca nihil prohibet, quominus linguæ vnà obueniant omnes, simulque sapores, tum familiarissimi, qui dulces sunt, tum non familiares, qui permulti sunt, & pro sua natura singuli sensum moueant, atque in linguæ contactu omnes quidem agant, diuersa tamen vnaquaque eius parte: nempe cui primò ipsam attingere obuenerit, ipsa verò saporis tangentis passio in totam eam diffundatur: necquicquam interim impediendo sua diffusione, quominus ne reliquę cęterorum saporum passiones linguæ, & ipsæ communicentur, nec verò etiam alio vno, alio verò alio tempore, sed perpetuò insolentem quamdam mistionem ob exquisitam sentiendi vim, lingua sentiente: quæ res viris etiam naturæ studiosis mirationem incredibilem, & dubitationem non paruam attulit. Quod quidem tamen in rerum natura fieri posse omnino illustribus Gal. ostendit exemplis, gelidæ aquæ in ingenti frigido repentine contactæ, gelidæ item calidæ manu, & pedibus eodem tempore contactæ, quiescentis etiam aquæ varijs in locis lapidum ictibus concussæ, febris lypiriæ exemplo, absinthij, et mellis mistione. Horum omnium iuuat quiescentis aquæ concussæ imaginem præclaram ad intuentium oculorum adspectum referre, in his enim ipsis rebus, quæ ad quietem animi in obscuritate cognitionis quæruntur, oculi aliquando summa cum delectatione plurimùm dominantur: quare postea mirari desinemus, nihilque præterea his in difficultatibus, nisi quæ oculos latent, cogitandum. Equidem qui nunc primùm viderint lapidem coniectum in quiescentem aquam, nullo eam commouētē motu, incipientem mouere, in orbem autem motum extendentem, tamquam centrum sit lapis, qui aquam ciere incepit, non amplius hæsitabunt, nec falsa rapientur opinione in errorem, sed veritatem cernēt,

tum enim vno tempore in diuersas placidæ, tranquillæque aquæ partes duo lapides coniecti duos effecerint circulos, qui per se se inuicem ferantur, statim contrarios cõspicies in quauis aquę minima parte motus, atque cum tanta sapientum miratione, vt quid est euidentius, non quasi cognitum, cõprehensumq; animis haberent, num scilicet aliæ partes aquæ ab vtroque motuum, an eædem ab vtroque mouerentur, nam quòd circulus circulum non sistat, nec vltra prorsumque fieri prohibeat, id manifestissime cernitur. Videtur igitur tantam rem acerrimo omnium sensu dijudicari, atq; tamquam physica ratione stabiliri, ita, vt quasi rei tradatur ratio: in aram igitur non est confugiendum, atq; hoc exemplo, quo plane docemur fieri posse, non recte non existimabimus, si cunctos sapores eodem tempore varijs tamẽ linguæ partibus sentiri crediderimus.

Sapores qui primi generentur. Cap. XXI.

Videre nunc oportet, qui saporũ omniũ primi gignantur, in quo non nos ipsos, quod velimus, cogitare, lib. 4. de sim. me. c. 7. *sed, vt stabilis rei multùm, tum vtilis, tum necessariæ opinio permaneat, & confirmetur: inductione, ac ratione ducibus in cognitionem deducemur, ex hac enim ignoratione ridiculæ existunt sępe contentiones. Si iam omnes sapores in escam partim, partim in condimenta ex sicco concretos, atque, humido peruadente, oriri probauimus: nihil potest esse in hac opinione commentitijs fabellis loci, illud enim est philosophantis ab initio saporũ naturam terrenã videre, deinde progreßionem, deinde maturationem, deinde quamdam, quasi exustionem. Primùm igitur necesse est fateri terrenam siccitatem cum ingenerata frigiditate,*

esse coniunctam, & eo tempore vere duram, asperam, crassam expertem esse humiditatis, & caloris, tum enim natura terrenæ simillima existit, quin, nisi à reliquis superis externisque naturis ipsa alatur, nullis grauidata seminibus, nihil pareret, & funderet. Verùm superæ naturę, tamquam cultores terræ, non patiuntur eam immanitate sua, & solitudine efferari, atque infæcunditate vastescere: nā mira societate mare terram appetit, eiusq; omnibus finibus alludit, æther auget imbribus, ignis salutari, & vitali calore souet, æternis in diuinū opus concinentibus causis: ob eāq; causam omnia ipsa concipit semina, illaq; ex se generata continet, eaque temperatione ex sua terrena siccitate cuncta, & oriri, & augescere videmus. Neque addubitari potest, vt ab initio, quæ prodeunt, simillima sint terræ: donec a fauore aliarum naturarum, Sole, reliquisque sideribus iam magis illuminantibus, ad commodum, naturalemq; statum sensim penetrarent. Quando igitur similitudo tanta est acerbitatis, & austeritatis cum terrena, frigida, & sicca natura, quid habemus explorati, cur non debeamus, confiteri, nobis adstringentes sapores primos genitos videri? Etenim fructus nuper editi adstringentes videntur omnes, & sicci, duri, & densi; ita igitur prima se habente ętate, succrescente mox hac, vis insit, veluti particeps rationis, atque ordinis, tamquam via progrediens, declaransque, quid cuiusque saporis causam efficiat; quid sequatur, progressu temporis ostendit. Primò enim animaduertimus, quòd fructibus tribuit amplius, vt eos alendo, atque augendo, humidiores effectos, austeros efficiat, deinde austeritatē in aciditatem mutet, tandem maturescens, magis, magisque pro aciditate pinguedinem, aut dulcedinem inducat, quam quidem cum adepti sunt, finem melius cupiendi habēt: quòd tamen,

lib. 4. de sim. fac. c. 14.

tamen, si dulcis sapor amplius efferuesceret, necesse est, vt in consequentem saporem transmutetur. Verùm, qui nunc primùm ex dulcis mutatione nascitur, salsus apparet sapor, ac eo calidior existit, quem quidem etiam, si magis efferuescere contigerit, in amarum sanè versum conspiciemus. Amarorum verò, qui minus amarus est, est quoque minus calidus, atqui, si quis diutißime ante amarus effectus fuerit, summam ipse refert amaritudinem, vt proximè ad saporem acrem pertingat, quò fit, vt non abstergat solùm, sed etiam mordicet, & exedat quoque. At si quis voluerit acrium saporem expletam notionem euoluere, iam se ipse edoceat, eum saporum acrem natura esse, quem nemo dubitat omnium esse calidißimum, cuius sinceri acrimoniam nulla hominis natura, non modò absque inusitata titillatione, sed etiam non ferenda molestia ferre queat, gradus tamen, & eius quasi processus, varij flexionum modi ponentur. Constituta iam progreßione, a qua certo ordine omneis ordiuntur sapores, & perinde progrediuntur, explicandum etiam est, quomodo à primo quidem mirabiliter, quasi occulta sollertia, natura eos procreat, postremò progredientibus verò ipsorum ætatibus, vt sensim postea iudicari possent.

Saporum ortus singulares, & virtutes. Cap. XXII.

VNde profecto extitit communis saporum ortus. Quòd enim propria caliditate, & cuique ingenita, ac externa, nimirũ Solis, sed tamen naturæ conuenīēti, ac familiari, corpora oĩa exoriãtur, augescant, & seruentur, nemo unquã Philosophus negauit, ad hoc verò cõsequitur, quòd, si dulcedo ex calore proueniat, veluti eius

opera

opera plane testantur, sic acerbitas, & austeritas ex frigore cōstent; horum verò antegressam esse causam non quidquā magis confirmare videtur, quàm videre hos sapores prope suum ortum plurimum lignei habere, & sicci, quòd quidem non modò frigiditatem ostendit, verùm etiam frigiditatis necessitatem: quandoquidem in vlla rerum natura corpora penitus sicca non reperiri posse, quæ recalescant, docet, vel maximè fælix senectus, vel omniū ortorū naturalis interitus. In hos verò sapores adstringentes influens iamiam humoris copia, illos efficit acidos, isti autem decessione siccitatis, accessione autem quadam caliditatis, minus sunt frigidi. Itaque palam est, adstringentem saporem esse terrenum, & siccum, acidum verò, quia minus terrenus, esse plus humidum. Præterea, si ab vnico frigido contrahuntur, densanturque corpora, & acerbus sapor linguam contrahit, siccat, asperatq;, liquet plane frigidum esse saporem adstringentem: fuerit etiam omnino terrenus, quoniam inæquabiliter exsiccat (id est enim quod exasperat,) & propterea quoque inęquabiliter penetrat, & linguam peruadit sapor, qui in terreno fertur corpore, hancque ob causam disiungitur, & diuellitur, vt deinde facile coeat, non fieri possit: propter eandem terrenam naturam tardè pertransit, quò fit etiam, vt, his initijs eruditi, cognoscamus magis ipsum in superficie linguæ hærere, quàm in profundum subire. Vim autem adstringentibus corporibus adstrictionis sustulisse natura videtur, dum ipsa, vel recalescunt, vel humescunt, vel vtrumque perpetiuntur. Equidem, si mollientur, & transmutentur, humescendo solùm, nec fiant humida, nec mollia, dulcedinem siccam adipiscuntur. Quòd, si simul humentia, & calentia fiant: sit autem humiditas aquea: in dulcedinem humidam conuertuntur. Sed, si hu-

mi-

miditatem aeream consequantur caliditati iiunctam, in pinguedinem mutātur. Sed, cum æquè austera, & acerba sunt, tum etiam magis adstringunt. Intelligere autem oportet, quòd ex acerbitate, quæ corporibus crassarum partium hæret, atque cum humiditate aquea sit coniuncta, ortum ducit austeritas. Denique acerbitas, cuius essentia existit densissima, numquam calescit, aut humescit, sed talis permanet, frigidissima est, & siccissima: forma acerbitatis, & austeritatis ea est, vt vtraq; ex ysdem initijs sit orta, vtraq; adstringat, & refrigeret, attamen in maioris, minorisque ratione inter se differunt: nam austeritas ex acerbitate originē trahit, cum ipsam, dum in corporibus crassarum partiū extiterit, humiditas aqueà mitigauerit. Aciditatem, incipiente iam maturatione, humiditas allambit, itaq; sensim vt minus terrena efficitur, sic fit tenuior, quò fit quoque, vt in linguā æquabili gressu influat, ac perpetuò: quamobrem; cum magis in se sociata esse videatur; si aliquando diuulsa fiat, haud ægre iungitur, & coit, velociter etiam magis, quàm in superficie linguæ hæreat, in ipsius altum descendit. Acida igitur, modò tamen sincera, quoad potest, fuerint, erunt omnia frigida, siquidem ex acerbitate humescente, modò aerea sit humiditas, & tenuium partiū, generantur, verùm enim verò, si acidis maturatio à calore solis, & ab ingenito aduenit, proculdubio, quæ aciditatem magis, magisq; maturescentia exuent, dulcia sanè fient, & perfectiora. Sed, si talia ex acidis dulcia effecta, rursus perfrictione acescāt, manifestum est, quòd in illam naturā, ex qua olim prouenerant, reuersa essent. Sed non omnia caliditate acescunt, verùm ea solùm, quæ ab ortu tantummodo frigidiora sunt: nec verò vetusti sapores, quia calidiores magis, quàm perfrigerari possint, vlli acescunt, at illa

la iterum acescere consueuerint, quoniam tanto calore nondum coaluerunt, quanto ipsis satis opis est ad bene perma- l.4.simp. fac.c.14. *nendum. Ex eo autem intelligitur, quòd natura comparatum est, vt res omnes in proprio seruentur statu calore proprio, corrumpantur verò ab immoderata externa, siue caloris, siue frigoris fuerit abundantia; id ipsum declarant alimenta, ista enim, vbi semicocta in ventris calore alterationem perpessa sunt, nō tamen absolutè ab eo alterata sint, acescūt. Sic lac, ptisana, & quæcunque sunt eius generis, æstiuo tempore citius acescunt, quàm hyeme, postulantque ædes frigidas, vt, in ijs reposita, diutius perdurent. Hinc patet, quòd, mutante quidem calore, sed tamen non penitus coquente, aciditas generetur. Quamobrem plerisque inest fructibus, priusquā maturuerint, aciditas, siquidem ipsam ex acerbitate ostensum est gigni, dum, accedente leui humiditate aerea, quamdam caliditatem consequitur: qua quidem caliditate augescente, ac iam plane coquente, pro aciditate dulcedo apparet. Porro in succis elucet leuis, si illi veluti quemdam rigorem perpetiantur, at, si plane refrigerentur omnino, acescere coguntur. Etenim succis omnibus, qui natura imbecilli prediti sunt calore, accidit quale flammis exiguis, & infirmis, quippe, si eas ad solem feruidum exponas, aut prorsum obscurari, aut denique etiam restingui conspicias. Sic, si validum ventum facias infirmæ, paruæque, citius eam dissipaueris, quàm inaugeas. Postremo, vt naturam saporis acidi, vimque omnem penitus perspiciamus, sciendum est, quòd, si acidum saporem sentiamus linguam mordicare, tum, non quia sapor sit, illi contin-* l.4.simp. med.c.4. *gere, sed quia gustatus est quidam tactus. Omnium saporum vnum verò dulcem incolumitatis, ac salutis causam esse sanguinis ipsius dulcedo demonstrat, is enim si secun-*

cundum naturam constiterit, in linguam effusus, dulcissimus apparet, quamobrem, vt à modico calido gignatur, necesse est, siquidē, vt, si integrum se, saluumque velit homo, in primis curet, oportet, vt quàm optimum sanguinem cumulet. Iam verò, si tanta putatur vtilitas ex bono sanguine, ad vitam degendam, etiam si causa ignota esset, verè cogimur dicere, ipsum esse temperatissimum, quamobrem temperati caloris virtute procreari putandum. Saporē igitur dulcē ex modico calore generari, non longiori oratione probare opus est, ergo dulcia omnia calida erunt, pro dulcedinis tamen modo, ac mensura. Ad hanc autem rationē consequitur, dulcem saporem vnum hominibus esse familiarissimum, & vnam ipsius esse naturam: reliquorum verò multiplicem, ac ab hominibus quodammodo alienam: nihilominus, si dulcedinis propaginem nanciscerētur, ipsi quoque naturæ humanæ amici esse, ac nutrire poterunt. Siquidem omnium, quæ nutrire queunt, communis est dulcedo, aut plus, aut minus: quin, si ea carerent, fieri non potest, vt omnino alant, quia omnis dulcedinis essentia in hoc profecto collocata est, vt hac plane ratione finiatur, quòd ista sane reciprocentur; omnia, quæcunque alunt, sunt dulcia, & omnia, quæcunque sunt dulcia, alunt; quinetiam quò maiores ipsius dulcedinis fiunt decessiones, eò minores alendi viriū accessiones fiāt, & perinde alimentorum potius cōdimēta euadunt, quàm alimenta. Verùm ab vno dulci sapore cur omnis ratio fluat bonorum, & malorum ciborum, & secundum naturam viuere, vnde hoc fit, non est omnino hic docendi locus, sed id præstabimus, dum eligendorum ciborum vtilitatem, voluptatem, ac prope necessitatem ostēdemus. Nunc dicamus; vt bacillum aliud est inflexum, & incuruatum de industria, aliud ita natum, sic aliorum

libr. 4. de sim. med. c. 7.

ſaporũ naturã non eſt illa quidẽ deprauata ſuapte natura, ſed uel naturæ humanæ vitio, vel quia ei eſt diſsimilitudine ingruens, non enim idem eſt cuique naturæ dulce, ſed alijs alia ſunt dulcia, vitæ enim inter ſe differunt. Cur autẽ ad dulcedinem natura impellat hominem? Is igitur, cum leuiter agnoſcit, tunc diſcernere incipit, vt ea, quæ primò data ſunt, natura appetat, aſperneturque contraria, natura autem primò, per ſe dulcedinem expetit, non verò de reliquis ſaporibus magna quæſtio eſt, ſiquidem hos cunctos, præter dulcem, ſinceros nutrire poſſe arbitrari, ſummę eſſe ſtultitiæ plane demõſtratũ eſt. An ne hoc quidẽ hinc intelligimus, dulcedinem eſſe meliorem? ſiquidem vna ex ſaporibus, ſi, quoad fieri potuit, & debuit, vt in perfecta conſtet natura, ſimplex fuerit. Ex calida, terrena, ſpirabili, humidaque, naturis primis, tantùm ſumſit, quantùm excellenti temperationi hominis commodum eſſe oportuit: vt nihil præſtantius, nihil melius ad vitam. Itaque eſt dulcedo nihil aliud, quàm in ſe perfecta, & ad ſummum perducta natura, ſine qua, qui aluntur homines, & creſcunt, neque ali poſſent, neque creſcere, ex quo intelligi debet, quòd natura, quæ ad hominum vſum, & eſcam tantam rerum vbertatem largita eſt, non ſolùm ea, quæ frugibus, atque baccis, terræ fætu profundũtur, ſed nec aquatilium genus, & alitum, & pecudes dulcedine carere voluit, ſiue vt talia fieri poſſint, ſiue, præter poteſtatem, ipſo actu dulcia exiſterẽt, quin perſpicuum eſt, dulciſſima quæque ad veſcendum eſſe omnium aptiſsima, & rerum plurimarum, nec ſatis apertè dulcium, vſum quamquam homini incohauit natura, tamen quaſi fundamenta quædam vitę, ſimpliciter, ac verè dulcia eſſe voluit: nam, cùm cæteros ſapores condidiſſet ad gratiam, ita formauit eos, vt in eis aliquantò à natura hominis

minis

minis temperatione dißidentes effingeret, siquidem, & acris nimis calidus, & amarus, & salsus nimis siccus, & acerbus valdè frigidus, & siccus, & pariter excellenter frigidus acidus, & humidus: nec mirum est inter eorum, ac hominis naturas dissimilitudines reperiri, cùm ex differentibus, ac alienis causis exorirentur, ex quo fit, vt, si sinceri, quoad fieri possit, reperirentur, nequeant prorsus nutrire: sed sinceros non inueniri posse ostensum est, ne dum tales naturam hominis delectarent, verùm, cũ alienæ essentiæ vires sumere capiunt, tùm sinceritatem exuunt, idque crebriùs si faciant, se refrangunt, quo in statu primùm seruiunt pro condimento, mox, si dulcedine contemperentur, & condimẽtum, & alimentum cum voluptate præbent. Naturæ dulcedinis tam consociata videtur pinguedinis essentia, vt eadem fere commoda, perinde ac dulcedo, in vita hominum intulisse videatur, propterea, qui de saporibus primi loquuti sunt, hunc ad illum retulerunt, dulcis enim temperatio est tẽperationi pinguedinis similis, vna ergo fere vtrorumque cognitio, quamquam momenta quidem pinguedini detrahit natura: quod ne dubitaremus, maximo est argumento: homines pinguibus, tãquã paratißimis alimẽtis, perinde ac dulcibus, vesci cibis: vterque sapor ex calore modico, & humido propagatur, ea tamen varietate, vt ex humido aqueo dulcis, ex humido verò aereo pinguis ortum ducat, vtrique æquè veluti inũgunt exasperatas, & quasi erosas linguæ partes, oblinunt, & proinde in statum suum restituunt; in hoc differunt, quòd, si cum voluptate hæc fiant manifesta, à dulci eueniunt, sin sine hac, à pingui. Quoniam verò pinguium tenuiori substantia natura eorum concreta sit, ob id ipsum etiam fit, vt extenuentur eorum ad alendum vires, suauia nihilominus tamen vtraque, & facillima ad conco-

quendum: nõ verò nos decipiant ea, quæ adiposa natura cõstant, nec enim vnam vtrorumque esse essentiam arbitremur; multa namque inter se differunt dissimilitudine, tum propter variam concretionem, & virium potestatem, tum etiam propter saporum diffidentiam. Adeps enim terrenam repræsentat naturam, cui crassiores partes cum aquea humiditate redundantiori permiscentur, quocirca frigidior existit, vnctuositateque vehementer relaxat, & implet, vnde ventris subuersio. Iam verò, si quis quæreret, quid est, quòd differãt, & cur nõ sint penitus pinguis, & dulcis pares; facile respondebimus: hic paullo inflauit vehemẽtius,

libr. 4. de sim. me. c. 21.

habetq; uires pinguedine maiores ad omnia. Cũ iã præstantissimã omnium saporum naturã explicatissimã habeamus, quæ nihil agrestis, nihil à natura hominis alieni habet: nũc intelligi necesse est, quòd à sua excellenti temperatione põt segregari, si ab acriori calore exuratur, & tũ cõuenire videtur, vt non omnia omnibus paria in ea respondeant, dum.n. dulcedo a calore vrgetur angustiùs, tum acquirit salsedinẽ, itaque non est mirum, si, dum calor illi causam intulerit, quę nouitatem substantiæ efficeret, aliam quoque ipsa naturam induerit, & vehementiores acquisierit vireis, quippe quantùm ei humidi spirabilis decessit, tantùm terreni, & sicci cum salsedine sumsit, non tamen linguam cõtrahit, ne-

libr. 1. de sim. me. c. 29.

que constipat, quin detergit potius, & abluit, etiam si adstringentis quippiam adiunctum habeat. Porro salsum ipsum, si amplius excalfactum fuerit, amari naturam intrat, propinquum siquidem ei est, quod cum ita sit, propter hanc naturarum coniunctionem continuata oratione easdem res de vtrisque tradere debemus: ea addita differentia, ad omnia, ad quæ salsa nata sunt, & eadem ipsa præstantiùs amara conducere. Cùm igitur cuiusque saporis sit proprium,

si in

si in sua natura non permaneat; sed ad alienam progrediatur, vt propter in ea inclusum; vel etiam propter externum calorem, is acriùs motu cieatur suo, atque in disparem saporis consequentis naturam transire cogatur. Itaque considerare oportet, quid intersit naturæ amari, quæque sit eius progressio, quemadmodum igitur assumpsit ipsa aliquid caloris, atque se ad habitum calidiorem perduxerit, salsumque infra se reliquerit. Sciendum igitur in omni creata natura numquam ea, quæ corporibus primò indiderat, ipsam deserere, modò suo itinere ad finem suum tendere non prohibeatur, sed ab initio traditis maiora semper adiũgere. Ita ea, quę prima salso sapori natura dederat, nimirum calidũ, siccum, tenue, exasperans, in amaro auget, nedũ deserat. Itaque amaris omnibus acriorẽ caliditatem, & siccitatẽ, tenuitatem, asperitatem adauget, atque, his politiùs à calore elaboratis, veluti superassata ipsorum essentia, vt quis ipsa optimè cineri comparet, & adsimilet. Admodum itaque excalfactis dulcibus, siue id ab igne, siue a calido ingenito perpetiantur, amari saporis cõstare generationem perspicuum est: inde autem initium proficiscitur: quoniam absumatur semper, ac diffluat ab illis humor in vaporem, ab amplificato calore solutus, quare necesse est, reliquum dulcium corporum terrenius, sicciusque efficiatur, perinde, vt calx, cinis, & propterea amarum verè omne edi nequit, perseque nullum, vt nutriat, satis est: nutrit tamen, si iunctam habeat dulcedinem, sed talis natura amara, neque quoad potest, sincera est, at in medio est eorum: Eadem quidem ratio est in alijs saporibus, nam (vt dictum est, & dicetur) præter dulcem vlli omnino nutrire nequeunt. Quin plantis etiam, quibus nullus est sensus, est inimicum, quod est exacte amarum, idem enim est squalidum pariter,

libr. 4. de sim. me. c. 19.

&

& siccum, atque naturam veluti fuliginis ab assatione refert. Verùm enim verò; cùm illi propinquus sit sapor salsus, necesse est, ut terreni ambo sint, & calidi: non obscura tamen diuersitate; quòd, cum amarus à calore arido plus sit extenuatus, & elaboratus, acriorem incidendi vim habeat, & extenuandi, atque abstergendi, & calefaciendi, hactenus tamen, ut nondum urat. Ex his eximijs facultatibus amaris inest, quòd minime omnium amara putrescant, quamobrem nec vermes, nec alia animalia, qualia in radicibus, herbisque, ac fructibus putrescentibus prouenire solent, procreent: namque videmus in humidis maxime innasci corporibus vermes, & putrilaginem. At exquisite amara quæ sunt (voco autem ita, quę nulla sensui notanda alia participant qualitate) omnibus propè animantibus, nedum hominibus, esui inepta sunt: propterea quòd animans omne est humidum, sincera autem amara sunt sicca, haud aliter, quàm cinis, & puluis: cinerem verò, & puluerem, veluti nec fauillam, & calcem animans ullum esitat: cunctis.n.inest, ut sui similibus seruentur, non verò contrarijs. Hinc est, quòd salsa, quæ admistam habent amaritudinem, facultates vegetiores habeãt. Præterea scire oportet, quòd, si linguam mordeat amarum, nihilominus id non tamquam proprium linguæ sensile efficit, quippè, si aliam carnem cute spoliatam contigerit, & illam sane mordebit: ex quo constat, mordacitatem à tactu propriè non à gustatu sentiri. Tantarum virium effectus sunt, abstergere, comminuere, & siccare crassos, viscososque humores; veluti cinis, & nitrum sunt nata, non enim aerea est, neque tenuis, neque aquea eorum consistentia, sed terrena exacte à calore elaborata sunt amara, ac veluti superassata ipsorum essentia. In comparatione autem acidorum non

parum

parum iis tenuiora sunt, ad acria vero crassiora: quamobrem, cùm, quæ incisura sint, in medio horum oportet, vt cōsistant: nimirum, quòd neque promptè penetrent, perinde ac flamma; neque cunctatione, & tarditate dissecare non possint: ipsa valentissimè omnium crassos, viscososque humores plane incidant: neque enim magis, quàm decet, penetrent, tamquam præteruolent, veluti tenuiora, neque veluti crassiora, nimis cunctando, eos incidant. Cùm verò in omnibus saporibus ampla sit latitudo, inter omnia, quæ amara sunt, quæ magis amara, sunt quoq; magis calida, & sicca, & tenuia: quantùm verò absunt ab exacta gustatus qualitate, tantū harū uiriū amittunt. Terminus aūt, seu finis saporis amari est abstergere: vbi videlicet in sua natura absolutus fuerit, hoc est, quoad fieri potest, minime alieni sibi permiscentur sapores: quamquam diutissime ante ex dulcis mutatione, qui mutatus sit, summe amarus, tam proximè ad acrem pertingit, vt non abstergat solùm, sed procul abest, quin vehementius mordicet, & exedat. Propter etiam hanc naturæ consistentiam, numquam amara odorata sunt, neque quoque, vel vt medicamētum nobis suauia sunt, neq; vt cibus. (l.4. de sim pl. med. c.22.) *Cur aūt nares, quæ semper propter necessarias vtilitates patent, lateant, & eorum iudicium non experiantur, non est difficile dictu. Quòd scilicet omnis odor in sublime fertur, odorabilium enim vaporosa substantia, nisi à corporibus defluat, ac spirabili naturæ permista in cerebrum delata fuerit, sensum mouere nequit. Atqui ratio, & experientia docent, nullam vaporosam substantiam ex tam calida, sicca, terrenaque natura educi, ac posse efferri, quæ ad sentientem vim adscendat: quo constituto: sequitur, amara plane non posse esse odorabilia. Hoc iam probe stabilito, & fixo, nimirum. Quemque saporem,* (l.4. de sim pl. med. c.17.)

si vl-

si vltra suæ naturæ essentiam exarderet, in consequentem necessariò progredi, sic amarus, si propriæ naturę fineis excesserit, vt in acrem, necesse est, transeat: hunc autem nemo fuit, qui dubitaret, quin esset calidissimus, si tamen externis liberus fuerit saporibus. Verùm, quoniã plura eorum, quę acrem saporem nacta sunt, idonea sunt esui, sane, dulcem quamdam obscuram adiunctam ista habeãt qualitatem, necesse est, cæterorum verò, quæ mandi nequeunt, pro condimento vtimur, modò intra limites contineantur cuiusdam latentis familiaris humiditatis: acres enim sapores, quicunque vtique amarum redolent saporem, multam interim, vel latentem humiditatem admistam habent, proindeque corporum eiusmodi non pauca à nobis in epulis expetũtur, quòd, si alia acria reperiantur, non edẽdo apta, horum quædam sunt mortifera, quædam solummodo medicamenta: talia autem omnia ab initio penitus calida sunt, deinde exedentia, vrentia, crustam inducentia videntur, ac denique etiam colliquantia, eaque omnia, vel cuti imposita esse huiusmodi. Sin intro corpus sumuntur, illa horum quidem, quæ tota substantia animanti cuipiam summe aduersantur, putrefacientia vniuersa existunt, eiusque generis animantium deleteria: De ijs omnibus, si eruditiùs disputare aliquando erit concessum, quàm nunc deceat, attribuẽdum erit, quantùm nos constabit perstudiosos esse veritatis. Iam reliqua acria noster sermo explicet. Reliqua igitur, quæ caloris sola redundantia hominis natura obsistunt, si ipsa crassæ essentiæ, terrenęque sint, interiora exulcerandi facultate pollent: sin tenuioris fuerint essentiæ, vrinã proliciunt, sudoremque promouent: in summa incidendi, & digerendi per halitum vim habent. Præterea acria, etsi amaris calidiora existant, nisi his valde consociata fuerint

l.4.de simpl. fac. c. 19.

multam

multam interim humiditatem adiunctam possident, & perinde iucundè illis vescimur: viscosa, & tenacia, quia ocius penetrant, ac quodammodo præteruolant, amaris minus seccant, & incidunt. Ex horum acrium genere, quæ cẽsentur, quãuis sola caliditatis exuperãtia sunt prædita, ea si crassã essentiam terrenam coniunctam adepta sunt, nedũ exulcerant, vt de ijs, quæ & tota substantia talia sunt, dictum est; sed etiam erodunt: nulla enim pars eorum sine cruciatu, neque celeriter penetrat, & pertransit, siquidẽ propter substantiæ terrenitatem immorantur, & tardãt; quæ verò tenuiori substantia concreta sunt, quoniam in itinere non cunctantur, sed velociter corpora permeant, propter subtilitatem vrinam cient. In eo huiusmodi acria ab ijs, quæ præter caliditatem dissimilitudine etiam substantiæ muniuntur, differunt, quòd necuiquam animãtium generi deleteria existunt. Insigne perspicuum acris saporis statuerũt omnes mordacitatem, quippe excalfactio vehemens ex essentiæ eius fit ratione; terminus igitur, & finis acris, est vrere: at acrimonia, quæ cum consociatur, illi est cum amaro, & acido communis: etenim ista, etsi acris saporis nunquam imaginem offerant gustantibus, acrimonia tamen non carent, memoria quidem perpetuò tenendum, quòd acris sapor, si quoad fieri potest, alienis nudetur saporibus, talis edendo non est: namque quæcunq; acria esui accommodantur, ipsa omnia dulcem quamdam obscuram confusam habeant qualitatem necesse est, cætera quidem, quæ hac carent, partim pro opsonio amplectũtur, partim, vt condimento tantùm: at verò, vt cibo ipsorum omnino nullo, idque ob virium vehementiam. Porro acres, si linguam vellicant, & mordicent, nemini põt esse dubium, quin ob id contingat, quia gustatus est quidam ta-

ctus, propter eam rationem, propter quam quoq; acidum, & amarum carnem mordere probauimus.

Sapores quomodo sint cognoscendi. Cap. XXIII.

l.4. de sim pl. med. c.4. *NVnc postremò uisum est de exercitatione, qua sapores cunctos cognoscere liceret, aliquid scribere, ut aut iam urgente, aut certe aduentante occasione acutè, & prudenter omnes seligere sciamus, & eorum inter se differentias internoscere, cum nonnullas, quæ cùm uires, tùm sapores communeis habere uideantur, certum sit, in grauissimis vitæ casibus, si nonnunquam aberremus, potius obesse: præsertim cum saporum, veluti facibus, inflammari soleat gustatus ad omnes ferè ciborum cupiditates: verùm sani profecto degemus, uel etiam prudentiùs, cum opus erit, prauis relictis, siue alimenta, siue opsonia, vel condimenta erunt ea, optimis æmulemur. Par igitur est, ut totos nos in cognoscendis, perspiciendisque saporibus ponamus: Id verò multò faciemus acutiùs, si gustatū exercentes in una manifestissima saporum qualitate, & hinc orsi, promptiùs, et sollertiùs ad aliorum omnium agnitionem perueniemus. Facultas igitur saporum cognoscitur ex his. Primò cum linguam allambunt, an protinus moueāt, & mutēt, secundò an sua propria natura, non propter aliquod accidens. Tertiò an diutius mutatio motionis pro viribus permaneat. Cui igitur nihil absit; quodquè undique, atque perfectum, expletum sit, omnibus suis numeris, & partibus, nulliamque alienam naturam, vimq; sibi habet admistam, id per se, secundum naturam suam agit,*

lib. 1. de sim. me c.1. & 3.

l.4. de té pe. c.5.

gìt, nec verò propter vllum aliud accidens, semper idem efficit, eoq́ue certiùs, si post aliquãto actum, quod inpresserat, permanet, maximè isthæc omnia in primis, si in temperatissimis naturis, omnibus aduentitijs qualitatibus nudatis periclitentur: mox intemperatis naturis, vt benè experirentur, adhibiti fuerint, modò illæ simplicibus passionibus laborauerint. Nam naturæ aduentitijs qualitatibus implicatæ, primo occursu pro alienarum qualitatum aduentitia facultate, dum corpora mouent, & mutant, sensus iudicium fallunt. Sic varietate passionum complexarum, cum dissimilibus nonnunquam viribus prædita sint, simplicium saporum virtutes impediuntur, quominus fideliter, simpliciter, constanter, sine fallacia, & vlla fraude vires innatas patefaciant, non enim fieri potest, quòd vna simplex natura multis, quæ pluribus egeat adminiculis, subuenire possit, quò enim vna ferat natura, aliæ eò ire denegent. Quamobrem esto, quòd sapores sint in iudicium vocandi, vt sint omnino, quoad fieri potest, sinceri, impermisti, careant scilicet aliena qualitate, ac primò optimæ temperationis gustatui influant, secundò intemperatæ naturæ gustatui, denique simplici, quæ arrepta fuerit affectu. Tum ad sentiendum ex his non debiles, nec obscuri, nec verò misti effectus patefient saporum, ita maximè credendum de eorum essentia, siue erunt in actu, siue in potestate, siquidem, & illi, qui potestate sunt, celeriter in energiam mutantur, libr 4. de sim. me. c. 4. *quòd, si ad interna externa omnia conferentur, fiet quidem præclare sine fuco, & errore iudicium, & singulare, ab ipsa quæsitæ rei substantia desumptum. Primò quidem a familiariori incohandum, occultiores enim naturæ sunt insuetæ, & propterea difficiliùs introspiciuntur, progredientibus verò nobis a consuetis ad minus insuetas*

sensim, cunctas cognoscemus: gustandi igitur exercere sensum oportet in ijs, quæ manifestissimas habent qualitates. Vt, si acrimoniam cogitatione comprehendere velimus, id in allio, in cæpis, & quæ ipsis sunt similia, efficiemus, assidue gustando, plurimumque dentibus terendo, tum longo vsu passionis impressæ sensum diligenter memoriæ mandando. Sin adstrictionem experiri cogitemus; in galla, in rho. Si amaritudinem in nitri, fellisque gustu. Si autem dulcedinem in gustu sirgi, & mellis. Si ἄποιον idest, quod est qualitatis expers, sine qualitate, quod ad gustatum attineat, aquã gustare licet. Si aciditatẽ spectare libet, in oxylapatho, et oxalide. Hac duce cognitione cætera omnia perspicua nobis prompte offerentur.

Alimentorum naturæ quomodo cognoscendæ, & seligendæ. Cap. XXIV.

SI non ingenerantur hominibus mores, tam à stirpe generis, ac seminis, quàm ex ijs rebus, quæ à natura suppeditantur, quibus alimur, & viuimus, magni refert ad ea omnia dijudicãda, quali sapore prædita sint, plane cognoscere: multa enim ex alimentis existunt, quæ acuant etiam mentem, multa quæ quoque obtũdant, quamobrem nihil loci debet dari in hac cognitione obscuritati. Illud igitur erit nostrum. Ciborum primùm naturam ipsam videre, deinde selectionem facere, deinde perseuerantiam præstare: ne verò erraremus multis in rebus, vel experientia, vel ratione usi sumus, vt saporum cognitionem, tamquam fontem verum huius disciplinæ haberemus, vnde porro alimentorum certam opinionem, quã ipsi docent, disceremus. Initium inde sumendum. Cibi vsus necessa-

necessarius est, quia sine ipso constare cuiquam animanti nullo modo pōt uita, condimentum verò ipsius ad sanitatem egregium affert adiumentum. Eius tamen appetitio nimia ex hominum animis exterminari institutionis beneficio pōt: noxia enim corpori, noxia quoque menti est: hanc etiam sumptuosam appellat D.P. appetitionem, propter quam homines importunis sunt, atq; incommodis moribus. Admirabile est quoque, quod tradidit memoriæ. Nimirum a carnibus maiores suos abstinuisse, tamquam non esset piū illas edere, neque Deorum aras sanguine polluisse solitos: verùm illis temporibus orphica vita quadam velut, illa appellabatur, quæ tunc hominibus erat, vt qui inanimatis omnibus vescerentur, neque a fide profecto abhorrere perhibet. Sapientum quidem omnium oratione docet extitisse omnia hominibus ex triplici necessitate, et cupiditate pendere: quarum impetus si recte regerentur, virtus, sin contra male, vitium innascitur. Hæc verò insunt hominibus ipso statim ortu. Videlicet, cibus, potus, generis propagatio. Atque cum homo innatum habeat appetitum, neque exaudiat, quæ mens præceperit, horum trium voluptatū æstro percellitur, atque ardentissimis vecordiæ, & petulantiæ facibus ad suas cupiditates explendas omni impetu fertur. Cum verò hæ tres sint cupiditates insanæ, tribus quidem maximis vinculis iubet Pl. constringendas esse, atque coercendas: metu, lege, & vera ratione: in quorum vinculorum subsidium, quæ imbecilliora magis, quàm has furias refrænare possent, aduocandas esse musas monet, & Deos certaminum præsides. Equidem hæc dicta fuerint nobis tamquam verborum ornamenta, atque leuis armaturæ prima orationis excursio, nunc cornua commoueamus disputationis. Itaque, si quisque velit in vita esse, debet para-

ra-

ratissimis vesci cibis; in hoc autem officio tria hæc opportuna, necessariaque concurrere intelligat. Id quod alit, & quo alitur, & quod alitur, Illud sane, quod alit, est ipsa a-
l.2. de anim. c.4. Arist. *nima; id autem, quod alitur, est corpus, quod ipsam animã habet: at id, quo alitur; ipsum est alimentum, hoc verò diuersa ratione alit, & auget: nam ea ratione, qua alimentum est quædam magnitudo, corpus auget: vt autem, est aliquid, scilicet, substantia, corpus alit, & cõseruat substantiam corporis, ipsum enim corpus eovsque profectò durat, quousque alitur. Siquidem alimentum non generat corpus ipsum, quod alit, sed simile generat eius corporis, quod alit: corpus enim est substantia, at nihil se ipsum generat, sed conseruat: Diuini quidem operis, quo aluntur corpora, excellentiam permulta testantur. Primùm ad omnia alimenta excipienda os fabricauit natura aptissimum, dentibus autem, in ore constructis, manduntur, atq; ab his extenuatur, & molitur cibus, eorum enim morsu diuiduntur escę, quibus est opus. Sed hæc prima molitio nullius causa est concoctionis, at facilitatem concoquendi potius ventri pręstat; vt facilius a calore, quem multum habet, mutari, & concoqui posśit, siue illud aridum est, siue humidum, quod ipse recipit. Age: ab homine ad res terrestres veniamus, vt naturæ sollertiam, ac prouidentiam spectemus, quò nil magis admirandi sit in homine, cernamus. Vt enim videmus, quòd, quæ gignuntur è terra stirpes, pe-*
libr.2.de partibus ani. c.3. *rinde, ac è ventre succũ trahant, quo alantur, ex radicibus, quibus continentur. Ita animalium genus omne, quasi terram, inter se continet sinum ventris, in quem quemadmodum in stirpes ipsas è radicibus alentem succum sugit, quẽ agitatione, & motibus musculorum, linguæque depellit, & quasi detrudit ex stomacho, quò primum illabuntur ea,*

quæ

quæ accepta ſunt ore: Cum verò venter calore naturali ſuo coquendi officio functus eſt, confectum iam ſuccum in aluum depellit. Ex inteſtinis autem, & aluo ſecretus à reliquijs ſuccus is, quo alimur, permanat ad iecur, a quo, cum ſecreta eſt vtraque bilis, in ſanguinem vertitur: qui per venas ad cor prolabitur, & in totũ corpus diſtribuitur, ut omnes partes planè ſuſtenentur. Si verò alimenta bonà aſſumuntur, atque ventri ſimilia, facilè ſucci producẽtur boni, iſti autem, vt coquuntur, ſic alunt: nihil verò æque ad ſuccorum bonitatem conducit in alimentis omnibus, quàm, ſi probè in ventre primùm elaborarentur: ſiquidem ſecundam, & tertiam concoctionem promptiùs ferrent: etenim mutuò ſe concoctiones ita excipiunt. Eam, quæ ventris eſt opus, iecur, & venæ, horum verò, quæ eſt opus, partes ſingulæ ſuſcipiunt. Omnibus partibus ſuccos, quibus renouantur, iecur, & venæ parant: iſtis venter: huic os: ori aſſatio, elixatio, maceratio: omnibus autem præparationibus natura prouida plantas fructus ferentes preparat: ſuntq; eorum aliqua, quæ ipſa edit; quibus nec elixatione, nec aſſatione, nec maceratione, neq; verò præparatione alia opus eſt. Vt autem, hoc ordine explicato, ingenij aciem ad eſcas bonas deligendas, reijciendasque contrarias acuamus, alimentorum primam generationem conuenit, vt perſpiciamus: eaque vnde generata, quò recurrant, quando, quomodo perfecta, quod in ijs caducum magis, & minus corruptibile.

I de ſucci lim. & vit. c. 5.

Quomodo ex ſimplicibus primis corporibus omnia generantur, & ſibi mutuos ortus extorqueantur, tametſi alio in loco definiendum, & explicandum fuſius ſit, nihilominus in hoc etiam tractandum videtur, quatenus neceſſitas præſcribit. Sapientes ex effectibus magnificis, atque preclaris miſtorum ſuſpicati ſunt, ipſorum præſtantem naturam

ab-

absolutè ex eximijs primorum initiorum viribus pendere. Inde est indagatio nata eorum tamquam seminum: vnde omnia orta sunt, & generata, concreta, quæque cuiusq; generis, vel inanimi, vel animantis, quæ vita, quis interitus, quæq; ex alio in aliud vicissitudo, atque mutatio. Hæc tractantibus animis extitit ea cognitio, vt in omnibus mistis quattuor prima initiò conueniant. Equidem primùm, cum terram solam sine humore non posse consistere, quia nimium dilaberetur, item aquam prehendere terram, quoniã definiendi facultatẽ obtinet, & terminandi, viderẽt, propter has causas illa mistis inesse arbitrati sunt: aerem verò, & ignem, vt mista ingrederentur, contrarietates impulisse crediderunt, siquidem aeri terra, aqua igni contraria est: atqui communi omnium fere philosophorum consensu statutũ est; ortus, & interitus ex contrarijs fieri, nec enim vlla alia vi, quàm contrariorum, actiones in rebus, & passiones peraguntur, idipsum verò ita se habere, magis certiùs probatum est, quàm refelli queat. Vbi verò contrariorum extremum insit, & necesse sit alterum quoque adesse certum est. Propterea fit, vt in quouis misto simplicia omnia congesta reperiantur; testimonio quidem esse potest, vel cuiusque misti alimentum, siquidem omnia oportet, ex quibus constant, ijsdem alantur, & sustententur, omnibus aũt omnia aluntur, atque stirpes eiusmodi sunt: quod autem lumen rei, quæ perdifficilis, & pæne esset in potestate obscuritatis, afferre maius, clariusve possemus, quàm, præclaro Gal. exemplo vini, docere tum in oleo, tum in lacte, tum in alijs omnibus succis eamdem insidere excrementorum naturam, multoque magis in totis plantis, metallicisque omnibus: interim ad vini spectanda excrementa nos conuertamus. Equidem in vino tria perspicue recrementa vi-

demus,

demus, vnũ, quod terrenũ crassarum partium est, hoc aũt, dum temporis spatio secernitur, fertur deorsum, atque fex cõsistit. Aliud aereum, quod florem vocant, qui, cum feruet vinum, supernatat, sed postea ad fæcem subsidit. Tertium denique aqueum, quod vino permistum est; hoc in primis, maximeque feruet. Quartum præter hæc est ipsum revera vinum: sed cum alimentum eius sit vita: quod alitur, & id quod alit forma sit, nihil à ratione discrepat, si uerè vino ignis virtutem explere attribueretur, & tamquã forma cum materia iungatur, eidemque connectatur. Ita enim inter prima vnum ignem omnium, tamquam formam esse putatur, atq; ex sua virtute ali: solus enim ipse ad formam pertinere, velmaximè videtur: propterea quòd omnium suapte natura ad terminum, & fines petendos aptissimus est: quãquam enim omnia simplicia ad sedes suas adeundas cõparata sint, omniũ tamen forma finibus maximè septa continetur. Ex his, quæ physicè dicta sunt de recrementis, naturã quoq; uini explicemus. Itaque, ne pulcherrimæ res tacitæ prætereant, strictim dicamus ea, quæ etiã ab hac quæstione non separantur. Si quis igitur quærat vinũ, vnde suam essentiam haberet, apparet, quòd crassum terrenum à terra assumsit, aqueum ab aqua, florem ab aere, essentiam verò ipsam vini ab igne, nec vmquam, si inter se hæc omnia semper consistere possent, vinum suã naturam amitteret, sed illa tria recrementa plerumque ipsum corrumpunt: redundans aqueum potissimum: hoc enim cùm in omnibus succis, tùm in vino maximè ebullitionem excitat, corruptionemque molitur, vbi nimirum in maturatione, concoctioneque, neque deuictum, neque plane elaboratum ebullitionis tempore fuit: Huius igitur excrementi gratia, timenda maximè est corruptio: nisi succi ab ingenita

l.2. de ge. & cor. c. 8. Arist.

calido penitus coquantur: neque enim facilè natura sua a corporum substantia aqueum ipsum secernitur: Aerei verò, terreníque recrementorum causa non admodum corrũpuntur succi, quia faciliùs à succis separantur, ægreque ipsa corruptibilẽ sortita sunt substantiam: quãdoquidem siccam temperationem adepta sunt, siccus ac aqueum, quod humidam assecutum est, quam ob causam, promptè putrescẽs, aduentitiam adipiscitur caliditatem, quæ ingenitam succorum dissipat, & corrumpit: ad quod consequitur necessariò, vt externam induant naturam. Ita igitur vinum innatum calorem perdit: nam vinosæ vini partes, dum transit ipsum in acetum, euanescente calore, frigefiunt, quamquam aqueum recrementum, putrescẽdo, aliquanto aduentitio calore calescat, qui sua imbecillitate exiguam aceto præbet vim, cuius virtute fit, ne in deterrimam naturam abeat, quod tamen aliquando contingere videmus, vnde eiusmodi vina omnino corrupta abijcere homines cogantur: Sed ad propositum. Constituto cur mista corrumpantur, nunc breuiter exponamus, cur eadem in sua natura vsque ad extremum permaneãt, & plurima edendo aptissima fiãt, id verò fit, quando recrementa, quæ in succis proueniunt, omnia pro naturæ modo concoquuntur, tum enim colligata permanent, quoniam calore Solis, & innato elaborantur, trahit autem in stirpibus Sol salsum, amarumque propter grauitatẽ relinquit, aqueũq; castigat. Ita alimentum parit, & auget: hæc eadẽ ipsa opera calor, qui naturę animalium insitus est, efficere solet, & præterea illis ex dulci alimenta suppeditantur, & omnibus alimentũ est, quod dulcissimum, & coctissimum. Argumentò est ad hanc veritatem, quòd calore improbè coquente non dulcia, sed, vel exurũtur, vel cruda, & male sapida cernuntur, eodem autem probè coquen-

quen-

quente cuncta suæ eßentię commodo statu fruuntur. Alimentorum præsertim, (de quibus solummodo agere proposuimus, quòd de reliquis mistis aliàs vberiùs pertractabimus) calor omnino intra limites fundentis, læuigantis, mollientis consistit. quod etiam dulcia hoc vitalis calore prædita eße ostendit. Nunc conferamus in paucis, & videamus omnium rerum quas, & creat natura, & tuetur, quæ, aut cum anima sint, aut sine anima, aut multò secus, earum primum summum bonum in æquabili tributione est, mox in ea, quæ illi est finitima, in ipsa enim inest aliquid simile perfectæ tributionis. Earum igitur rerum, quas terra gignit, generatio, educatioque quædam, & perfectio est, nõ dissimilis animantium. Itaque cernimus, & tamquam viuere, & mori, & stirpes, & quæ ex ijs educuntur: Vinumque, (ut nos in exemplo sistamus,) & bonum, & malum, & vigere, & acescere, & corrumpi, ex quo nòn est alienum, & vt animalia, quando humorum ęquabilitas est, & commistio naturalis, sana sunt, nec dolent penitus, inęquabilitas verò, & mala commistio, quando insana sunt, & dolent, sic inanimis succorum est apta quædam, quę quadam respondet analogia, aliena verò in his amputare, eorumque regendorum, & seruandorum cultricem esse tum artem quãdam, tum calorem ingenitum, & Solis externum. At in vino, & stirpibus, & in metallicis succos eße omnes fatentur, horum igitur est forma; si simul se omnes amplecterentur, ita, vt copia, qualitate, mistione in expletione naturæ consisterent; tunc omnia recte dicantur quodammodo viuere, neque dolere, sed diutissime permanere. Sin, vel recrementũ aqueum, quod plurimum diximus mistis, vt corrumperentur, vim inferre; vel reliqua recrementa, tam suas vires tollunt altiùs, vt mistorum tẽperationem subuertant,

tunc, siue copia fiant, siue qualitate, siue mala commistione tamquam ea mori, & dolere putandum. Igitur si velimus alimentorum bonorum naturam comprehendere succos omneis, quibus ipsa continentur; oportet, ut inter se copia, qualitate, & præsertim mistione iuncti sint, talia verò nulla vitiosa succorum abundantia sunt constituta, sed, vt vireis, lacertos, sanguinem optimum gignant, sunt omnium aptissima; & quò ab hoc statu decedunt, eo minus ea, quibus ad beatè diu viuendum opus est, præstare possunt. Quòd, si talia a natura, vel ab arte effecta, intueri, perspicere, & dentibus terere, gustatuque tangere vellemus: haud esset sane dubium; quin dulcia viderentur tenera, & fragilia nobis apparerent: nunc quisquam certiorem rationem, ac experientiam ad cognoscendum alimenta requirat ijs signis? neque enim sunt ementientia vnquam, quemadmodum postea non dubitanda eorum indicia trademus.

De Alimentorum generibus. Cap. XXV.

VT hæc concedantur, sequitur, vt inquiramus, cur multa alimentorum genera natura genuerit. An quoniam plures gustatus extiterunt differentiæ, perinde, ac diximus multas dißimiles naturas reperiri, quibus aut plus, aut minus varia alimenta familiaria esse possent; omnium tamen, quamquam eorum alia iucundiora, suauioraque videantur, communis est dulcedo; namque vni naturæ alendæ vnum alens necesse est, vt sit alimentum; non verò nos ab hac veritate deterreant dissimilitudines alimentorum, quæ, etsi aciditate, adstrictione, acrimonia, salsedine, amaritudine inter se differre censeantur, nihilominus omnia in vna natura dulcedinis,

l.4. de sim pl. med. c.9.

sine

sine qua fieri non potest, vt nutriant, penitus conueniunt. libr.4.de sim. me. c.16.
Illud potius verè dici potuerit, optimæ naturæ ea congruere alimenta, quæ summam obtinēt dulcedinem: inter enim hæc similitudinem substantiarū summam esse scimus: hinc est, quòd huiusmodi alimenta, quæ ab ortu dulcissima existunt, nullam requirunt præparationem, vel sint iam educata, aut insitā habeant potestatē, vt dulcedinem adipiscantur, pro sua faciliori potestate leuissimam præparationem aliquam exigant, quin plurima ex hac potestate ad dulcedinem naturæ simillimam non educuntur, antequam ab innato calore ventris, iecoris, venarum in sanguinem mutentur: Iam verò nobis est dictum, excellenti naturæ sanguinem dulcissimum gigni. Cæteris naturis, quæ ab optima discedunt, vt vis, & natura illas gignentium efficit, quòd pro elementorum commistione variæ ingenerentur cupiditates, sic ea ipsa expetunt alimenta, quę suæ concretioni responderent, quò fit vt alia adstringentia, alia acida, alia pinguia, alia salsa, alia amara, alia acria tamquam sibi similiora concupiant, nullam tamen reperiri naturam posse, quę sinceri saporis alimenta (si concederentur) appeteret; quoniam; quemadmodum sincerum saporem, si vllus procreari posset, summum probauimus futurum; sic naturam, quæ, vt se aleret, & seruaret, hunc desideraret, summam, & vnam, simplicemque consistere oporteret. At neutrum horum in rerum natura creari potest, ad quod consequens est, quòd tametsi cæteræ naturæ alimentis alieni saporis vesci optarent, præter dulcem, nihilò secius necessariò ipsismet, apparens, vel latens dulcedo esset coniuncta, quorum etiam pars coctione, pars condimentis, pars vtroque egeret, præterea calida nimis alimenta frigido, & frigida nimis alimenta, calido corrigi deberent.

De

De Alimentorum viribus. Cap. XXVI.

IAm dictis consentaneum est alimentorū vireis inquirere. Verùm quemadmodum nulla constitui potest cognoscendi ars, nisi prius veluti regula, ac corpus communis rerum, in quibus ipsa versatur, constituatur, ad quam singularia omnia explorentur, quæ sensibus probantur, quæ initia si nos repudiemus, nō habebimus, vnde vllius cognitionis principia sumamus. Ita in hac ciborum inuestigatione quędam dari debent principia: sic nos ipsa ducit ratio. Primùm igitur sciendum est, inter se non congruere posse, vt natura, & homineis procreari vellet, & conseruari non curaret: ex hoc aūt nascitur. Vt communis hominum, qui seruari, & inter ea, quę eos seruare debeāt, sit magna consensio. Homo autem regitur, & longin quiùs viuit, qui temperatissima exornatus est natura. Itaque inter omneis, nisi admodum agresteis, conuenire oportet, ad hanc referenda esse omnia alimēta, illa igitur, quę ad temperatissimam naturam collata, nulla vincente qualitate prędita esse videntur, temperationis temperatissimę erunt, atque etiam solummodo alimenta, nec verò vllam vim medicamenti obtinebūt. Talia ventrem, nec soluūt, nec cohibēt, sudores, vrinas non prouocant, nec prohibent, nec vllam penitus mutationem inducunt, sed tale in longinquum tempus seruant, quale corpus nutrire recipiunt. Quin, si ijs corporibus, quæ a temperatissima natura absunt, siue calida, siue frigida, siue humida, siue sicca erunt, eiusmodi alimenta exhiberentur, vt ad eam reducerētur, exiguo sane successu concederentur, propterea huiusmodi corpora, quàm à forma ipsa distauerint, tam in diuersum statum traducantur necesse

libr. 4. de fim. me. c. 1.

cesse est: fiet autem id per ea alimenta, quæ illi intemperationi essent contraria, nimirum, quæ pari passu a forma aberrant, contraria verò æquabili interuallo in vtraque l.4.simp. me.c.19. *oppositione à temperatissima natura recedent, vt si corpus tribus gradibus à temperatissima natura ad calidiorem steterit, totidem, alimentum quoque a temperatissimo alimento ad frigidius oportet, vt vergat. Quamobrem cauendum est: quòd, quemadmodum in natura optima custodienda, ac in ijs, quæ huic sunt finitimæ, & propterea adhuc sunt seruãdæ, ea seligantur alimenta, quibus cum naturis, vel maxima intercedit similitudo: Sic etiam in mutandis illis naturis, quæ, vt restituantur, & corrigantur, cõtrarijs egent, ea seligantur, quibus cum naturis non vlla solùm similitudo, sed penitus dissimilitudo naturarum intercedat. In quo par est intelligi: eorum, quæ custodiunt, seruantque alimenta, promptior efficitur in alendi corporis, seruandique naturam mutatio, propter similitudinem; eorum verò, quæ restituunt, corriguntq; alimenta difficilior, tardiorque in alendi corporis, seruandique naturam debet fieri mutatio, propter naturarum dissimilitudinem. Dissimilitudinẽ verò, & similitudinem, suffragantibus saporũ, ac tãgibilium qualitatũ signis, lingua propter neruorum copiã excellenti, & non ementienti facillimo dijudicat iudicio. Tum verò alimenta omnia, tum etiam præsidia omnia in quattuor adminiculorum ordines exquisitius maiores nostri, ipsius linguę testimonio, fidelissime distribuerunt. Lingua enim in cognitione saporum est à natura posita, & per consequens in explicatione alimentorum. Ita, quæ optima sunt in cibis, illa quæret, & probabit omnium: quod si mãdentium gustatui euidentius, neque refrigerantia, neque calefacientia, neque humescentia, neq; siccentia videantur,*

&

& perinde nullæ reliquarum affectionum, quę primas cõsequuntur qualitates, euidẽtius eluceant in alimentis, omnia bona ab ipsis sunt expetenda, in ijs nihil potest malorũ videri, quòd aliorum concretionis necessitas afferat, sed l.2.simp. me.c.24. *tantummodo alunt, custodiunt, non mutant. Vt enim, si frigidus sit aer, duo se contangant, dicentur, se viciſſim calfaciant, sed reuerá frigus, ne corpora attingat, arcẽt, verùm vulgò assueti abutimur verbis; ob id ipsum etiam, arcẽdo frigus, vestimenta excalfacere dicentur, hunc in modum similia alimenta, seruando, non mutando, substantiam alendo, augent.* libr.1.de gen.c.7. Ar. *Iam verò fieri non potest, vt simile à simili afficiatur: cuius enim rei præsidio, alterum magis altero egerit: nec quodcumque, quod fortuito incidit, natura aptũ est ad agendum, & patiendum: sed quæ, aut contraria sunt, aut rem contrariam habent. Huiusmodi autem sunt ea alimenta, quæ impari elementorum mistione constant, siquidem quędam ignis, quàm aliorum in se plus continent; quædam aquę, alia terræ, quædam aeris, ex eiusmodi enim imparitate proprietates singulorum corporum sunt procreatæ, ex hoc, quasi fatali fonte, omnis manat actio, & passio: ex singulis verò virtutibus corporum actiones mutuæ spectantur, nam liquet debilia magis recipere, quam facere iniuriam, nec valentiora eo contenta sunt, quòd habent, sed non conquiescunt, donec illa ad sui similitudinem, naturamque traduxerint. Iam verò Alimentorum cognitionem ex omnibus saporum generibus illustratam, patefactam, compertamq; habemus: sunt enim, aut crassa, terrena, adstringentia, & sunt frigida: aut acida, terrena, subtilia, & ipsa frigidam possident vim: aut dulcia, & moderatè calida existunt: aut salsa, terrena, elaborata, & caliditatem adepta sunt: aut amara, terrena, subtilia, & sicciora sunt, ac cali-*

calidiora: aut denique acria, omniumque sunt calidissima: aut aquea sine insigni qualitate, & frigida. Quæ autem plures, vel etiam omneis susceperunt sapores, varias, ac cōfusas referunt vireis, atque pro saporibus, qui cæteris prestant, ab initio agunt, deinde pro reliquis: quò fit, vt eadem alimenta varijs diuersis, quin etiam interdum contrarijs viribus operentur; illustria, & plurima alimentorum spectantur, quibus vna insignis adstrictio, non obscura amaritudo, euidens dulcedo, non spernenda acrimonia, perspicua aciditas insunt: atque horum, quæ virium habet principatum, ipsa primò peragit, huic verò, admirabili naturæ artificio, certo ordine, reliquæ in opera succedunt. Quòd, si exquisite veras internoscere concupimus facultates, sciendum est, nondum succos alimentorum proprias, sincerasque proprietates ostendere, sine fuco, & fallacia; nisi prius, quod in ipsis est aquosum, & semicoctum, transmutatum fuerit, atque præclare confectum: tunc enim is, qui feruorem concitat calor, euanuit: tunc alimenta profectò omnibus illis debitis instructa sunt signis, quæ ex halituū, saporumque natura proficiscuntur, quibus quoque omnia sane signa associantur, quę apparent secūdum teneritatem, aut frangibilitatem, lentorem, aut laxitatem, densitatē, aut raritatem, leuitatem, aut grauitatem, tenuitatem, aut soliditatem, & id genus, de quibus Gal. lib. 5. de simp. med. c. 2. sermonem habet, quo in loco magnum hunc quidem locum difficilē explicare proponit, at primas docet qualitates eas generare affectiones, quę secūdę, & tertię qualitates vulgò ex suis effectibus dicuntur. Siquidem, inquit, ex primis, & communibus qualitatibus, quòd singillatim unumquodque non pari modo ex illis temperatum sit, aliud euasit dulce, pingue, adstringens, acidum, salsum, amarum, &

acre, quæ potes appellare secundas. Aliud denique ob id etiã ipsum euadit durum, molle, tenue, craßum, rarum, densum, & id genus, quæ quodammodo tertias dicere potes. Nunc videre liceat, nũ hę omnes sint concedendæ: an nullam verè, præter primas, & communes omnium rerum reperiri putandum, sed nostra causa, quòd non satis res intelligamus, siue, vt clarius, fingendo, hæc commenta inuexerimus. Nam obseruatio diuturna, notandis rebus, fecit hanc quasi qualitatum multitudinem. Potest igitur quidquam factum esse, quod non ex primis dictis qualitatibus, fuerit futurum?

[libr. 4. de sim. me. c. 1.] *In exemplum autem acerbitatem mittamus. Ergo, acerbum esto, in quo primùm superat terra, deinde aqua, deinde aer, denique ignis: ne hoc quidem negari potest: nam iam ostensum est, ex calido, frigido, sicco, humido, confluentibus, omnia saporum genera ingenerari: quamobrem, quòd non dubium est, id sumere nos licet pro certo, & concesso. In acerbi, videlicet, generatione, ita conuenientibus elementis, maiorẽ quidem constat, inditam esse vim refrigerandi, & siccandi, quàm humescendi, & incendendi, ac perinde contrahere, constringere, densare, siccare, & exasperare, quis, hęc cum viderit, reliqua non dederit? nobis quidem permirũ videtur, quemquã extare, qui etiam nunc, non credat ijs, quorum prędicta quotidie videat re, & euentis fieri. Itaque, vt sensit Arist. frigiditas, caliditas, siccitas, humiditas materiæ sunt corporum compositorum, cætera autem differentię eas sequuntur, vt durum, molle, graue, leue, rarum, densum, asperitas, lænitas, & reliquæ id genus affectiones. Itaque consentaneum est, vt etiam progredientes ab ijs principijs, quibus quoque congruere debent, quæ sequuntur, dicamus, vt quemadmodum qualitates inter se ea proportione conuenientes, eas effingunt affectiones, quas acerbum*

bum concomitari diximus saporem: Sic etiam aliæ qualitatum, quæ innumerabilibus modis cohærere queunt, in dispari natura coitiones, tum dissimiles, tum similes, tum contrarias, tum repugnantes affectiones in mistis producunt; alia enim ad aliam generandam affectionem propensior videtur coitio; siue sit ea aciditas, siue acrimonia, siue dulcedo, siue salsedo, siue amaritudo, & ante harum generationem, primę tangibilium corporum cõsurgunt affectiones, nimirum, durum, & molle, quibus necessariò, commitantur grauitas, leuitas, densitas, raritas, asperitas, lænitas, & cætera, quę illas consequuntur. Nec verò quisquam poterit negare, quin qualitates, ita consociatę, eos pariant effectus, quorum causæ ipsæ accesserint, siue rarefaciendi, siue condensandi, siue molliendi, siue illiniendi, extergendi, & id genus alia. A. l. . de partibus ani. c. 3. *Nos ipsi quidem hæc meditamur, nõ tam inuehendi nouas opiniones causa, quàm ea, quæ minus intelligimus, requirendo: Cum autem nostro iudicio nobis esse vtendum censeamus, facile factũ est, nos id sentire, quod Ar. visus est velle, & docere. Quoniam verò animaduertimus in vno membro vim sentiendi, vim mouendi, vim nutriendi, vim pulsandi contineri, non alienum putamus, vt complures vireis ipsum habeat, quia componentes membra à primis qualitatibus variam duxerunt materiam, formam, figuram, & propterea, aliæ sint duræ, aliæ molles, aliæ lentæ, aliæ rigidæ, aliæ aliam sumserint naturam, vnde ipsę primę qualitates, tam varia, tãq; miranda edũt opera, tamquam mirus opifex quidam, qui adminiculo plurimorum instrumentorum permultas res ad singulare opus vnum neceßarias sollerter incohat, ac perficit; ita illæ primæ, mediæ, & vltimæ, videlicet plurimorum necessarias actiones, quas secundis, & tertijs dictis qualitatibus attribuimus, vnæ perfi-* l. de hist. ani. c. 1.

 ciunt,

ciunt, docente, & fabricante natura figuras partium habileis, & aptas opificijs, quibus, vt se seruaret, & tueretur, egeret. Vnam igitur vim credamus, quæ multiplex effectuum nouitate, & varietate videtur. Redeamus ad propositum. Alimentorum quædam sunt, quæ humidam, laxam habent substantiam, & ea nullam gustantibus, aut olfacientibus qualitatum vim insignem referunt; talia suapte natura subsident, si tamen venter facile subsidet, sin minus, restant sublimia; Alendo autem tenue, humidumque alimentum corpori præbent, ad quod omnino cõsequitur, vt celeriter corpus totum permeet, ac peruadat, velociterque excernatur, tum per cutim, tum per vrinas. atque magna mole exiguum creant alimentum, &, quia breuiter per halitus exhauritur, & digeritur, rursus alio non multò post sit opus. In alijs aliter se habet; quæ enim alimenta duræ, densæ, terrenæ, solidæ, sunt substantiæ, de se copiosiorẽ suppeditãt cibũ, quia tardiùs permeant, præterea crassum, lentum, aut adstringentẽ, & ob id durabilẽ, quia ægre difflatur, magis si glutinosa fuerint alimenta.

H.5.vulga. 6.2. aph.18. *De illis pronuntiauit Hip. quòd debiles cibi frigidi fuerint, de istis, robusti. Rursus de illis. Eorum, quæ vniuersim, & velociter nutriunt, veloces quoque fiunt excretiones. De istis verò contra intelligi par est, nimirum. Eorũ, quæ lente, tardeve nutriunt, lentæ quoque, & tardæ fiunt excretiones: quando autẽ in hunc incidimus locum, oportet semper memoria tenere. Quòd succi, qui in venis colliguntur, cibis respondent, & quòd prima ventris coctione uiolata, omnes ferè cultus, fructusque in iecore, in venis interire arbitrentur:*

G.l.2.2. lim.c.6. *quamobrem, non est dubitandum, quin ex concoctu difficillibus escis, & improbis similes ingenerentur succi, quare omnibus, qui habent rationem valetu-*

dinis

dinis à praui succi escis abstinendum est, etiamnum, si ea à quibusdam facile coquerētur: praui enim succi ex ipsis post longum tempus in venis colliguntur, qui postea, exiguam G.2. alime.c.12. *ad putrescendum occasionem nacti, febres malignas accendunt. Fugienda præterea alimenta insuauia: insuauitas enim magna ex parte causa est, quominus ipsa calor ingenitus rite conficiat, & ob hanc causam satius talia fuerit condire, siquidem substantia accommodata alendo iudicatur voluptate. Ita magnus Hippoc. Parum deterior potus,* G.3. alime.c.14. H.2.aph.38. *& cibus suauior autem, melioribus quidem, sed minus suauibus est præferendus. Quare, etsi est illecebra nocendi quædam huiusmodi potus, & cibus, tamen habet illud boni, quo insuauior caret, quòd voluptate, qua omnes capiuntur sensus, est delectans; sic à natura per errorem, tamquam salutare magis, magna cupiditate asciscitur, & excolitur: siquidem ipsa est paullo ad voluptuosos, & iucundos cibos propensior, illos verò perfectiùs elaboratos ad succos gignendos feliciùs ipsa transfert, quos enim maiori cupiditate amplectitur, maiori etiam concoquit cultu. Etenim quis hoc non videat, cuncta desiderio condiri? itaque non est mirum, si nonnunquam, tametsi rarò, ad valetudinem conducant, perinde ac continenter, seuere, sobrie, viueretur.*

Signa alimentorum ex affectionibus primis corporum tangibilium. Cap. XXVII.

SI tanta præstantia est in bonis corporibus, vt ipsa ad animum ēt traducantur; at illa ab alimentis maximè pendeant: doctrinæ iā traditę, oportet reliqua huius cognitionis adiungamus, per quæ abunde satisfactum

iri

iri toti huic disputationi arbitramur: magnus est quidem locus is, & quamquã ex intima philosophia sit erutus, est tamen medicinæ proprius. Non videmus quidem, quo- G. 3. alimen. 31. l. de atte. c. 8. *modo prudentiùs alimẽtorum perfectionem introspiciamus, quàm, si causas indagemus, cur talia esse cognoscantur, quas si aßequemur, nihil deerit huic inquisitioni; quæ cognouimus, magna fuerunt profectò, sed nec satis vnquam fore putamus, nec minus ita ijs satiari possumus, sedari tamen desideria speramus nostra ex ijs, quæ dicentur. Age: Ea primùm dicamus alimenta, maximum munus humanæ vitæ afferre, quæ tenera, & fragilia verè sunt: modò æquabiliter ista sibi vicissim ita respondeant, vt in iusta tributione põderentur, nimirum, ne in alterum excessum declinent, ne videlicet teneritas fragilitatem, nec fragilitas teneritatem vincat. Hæc, quæ aceruatim nunc dicuntur, posse contemni, uel etiã rideri, præclare intelligimus: Sed idipsum est naturam, quæ has significationes ostendit, contẽnere: nostrum erit tamen luculentissimorum signorum, nec vmquam fallentium obscuritatem tollere, & sic veritatẽ munire: hæc à natura accipiunt, vt sua iudicia eluceant, quæ aspernari, & negligere nemo debet; agitur enim existimatio, veritasque rei præstantissimę. Repetamus igitur. Ea optima omnium alimenta censeri, quæ etiam optimos omnium fundunt succos, nihil enim ad adipiscendam, ac ad valetudinem adeptam tuendam adeo confert, quàm succorum bonitas. Notißima itaque, nec vmquam non vera indicia, optimorum alimentorum ostendamus, quæ teneritatem æquabilem habent, & fragilitatẽ, quòd, si his attenti sumus, tamquam fidißimis testibus, eorum alimentorum, quibus utrũque adest, quantumuis mandemus, non errabimus: quibus verò neutrum inest, ea abijcere oportuit. Vt enim illa*

atte-

attenuantium, incraßantiumque in confinio consistunt, quęque in extremorum medio collocantur, ita ista quantùm à mediocritate absunt, tantùm à temperatissima natura etiam absistunt: quamobrem nihil potest illis deesse; veluti quę ab optima natura generetur, & quò longius ab ea distinguntur, eò imperfectiora, atque alendo ineptiora existunt. Verũ, cum plerumque alimenta, quę tenera, & fragilia sint, desint, ijs sanè, quibus alterutrum insidet, licet vesci, modò tamen, nec frequenter, nec ad satietatem vescamur. Sed ita, inquimus, meliora, & expleta sũt omnibus suis numeris, quibus natura teneritatis, & frangibilitatis tributionem indidit, quòd ex eo intelligimus; quia corpora, quę his aluntur, habent maxima expressa signa omnium virtutum, quin, si aliqui reperientur, quos non hæc delectent, sciendũ profectò est, eos sane non moderatissima esse præditos natura: nam illis, qui hac exornati sunt, ad illa quidem, & solùm desideria patent: etenim perfectiora, & sui simillima concupiunt, tùm verò concupiendi finem faciunt, atque se desideria satis consecuta putant. Omnium autem ciborum, qui in vita hominum administrantur, cum seminatrix, & altrix sit natura, eos quoq; omnes subiectos esse gustãti sensui voluit, vt eorum administrationi præsideret: in ijs verò, ne fortuna, nec temeritate, nec vanitate ipse erraret, tã apertas illis, tam constantes tangibiles affectiones ingenerauit, cum admirabili & incredibili facilitate, quòd ne effingere nemo possit, cur exquisitißimum sensum, multis grandibusque neruis sentientibus prædiuitem, notissima uulgò signa latere possent, nimirum, teneritatem, & fragilitatem, sin etiam ad clariorem intelligentiam cum Arist. nominare placeret pro teneritate mollitiem, pro fragilitate, ruptibilitatem; nihil vetamus, quin adhuc multò clarissimum

erit,

erit, si ita putatum erit, & intellectum. Alimenta temperatissima esse, quę omnibus tāgibilibus affectionibus eousq; prædita sunt, vt non vlla eorum magis, quàm alia teneantur; talia autem æquabili natura, ac iusta tributione, vt potiantur, necesse est: non fieri enim potest, vllam vim reperiri naturę, quæ sui dissimilia in vna natura possit effingere: Itaque hæc continuò reciprocantur. Si temperatissima alimenta dantur, illa protinus nulla affectione excellentiùs insigniuntur: rursus, si huiusmodi reperirentur, eadem necessariò erunt temperatissima: quid autem est, cur dubitandum sit, quin sit id, quod dictum est, verissimum, si ratio secum facit? Etenim corpora omnia è calore, aut frigore, tamquam agentibus, è sicco verò, & humore, tamquam perpetientibus, coagulantur: & humor quidem, & siccum initia affectionum omnium corporibus præbent, primæ autem existunt durum, & molle, reliquæ verò ex ijs oriri credūtur, corpora tamen vtrius magis consortia sunt, eius etiam naturam pleniùs referunt. Equidem primæ putandæ sunt affectiones illæ, quę maximè corpora terminare queunt, tales verò sane sunt durities, & mollities. Illam sic finiunt, quòd tactui non cedat, hanc, quòd illi cedat. His ita constitutis, quod volumus, & sentimus, sic erit expressum. Alimenta, videlicet, temperatissima, cum ex abundanti, nec frigidum, nec calidum, nec siccum, nec humidum asciscerent, ea tenera, & fragilia esse, atque talia nihil in se habere, quod reprehendi possit, atque ex ijs naturis in vnum æquabiliter congestis, quæ alendo essent, quod effici potuit optimum, effectum est: quoniam in illis omneis corporum tangibiles affectiones ea mensura coeunt, vt neque ad vsum meliora potuerint esse, neque ad gustatum delicatiora, neque ex alijs, quibusuis præstantior sanguis

gigni

gigni potest. Vt verò clariora, & certiora iam enarrata fiant, rationem subijciendam putamus, cur ita sit. Inde l. 4. met. c. 2. *sumpto initio. Equidem prima sunt corporum omnium, iam tamen suis terminis circumscriptorum, initia siccitas, & humor, quia ita, vt terminentur, sibi inuicem causæ habentur, enimuerò necesse est, vt ipsa statim, vbi suis terminis absoluta fuerint corpora, vel dura, vel mollia protinus appareant, antequam alias referant affectiones, atque corpora singula eius potius sint elementi, cuius vim, & naturam magis retinuerint; humor autem ad aquam, siccitas ad terram refertur, quòd si vlla reperirētur corpora, quę neutrius naturam ex abundanti referrent, non esset quisquam, qui duce ratione non cognosceret, eiusmodi corpora æquabili tributione, vt coalescerent, necesse esse. Sin hæc constanti ratione uera iudicantur, ad hoc etiam est illud consequēs, quod promiscue, & communiter stultis, & sapientibus patere potest; nimirum, reliquas affectiones tangibiles, quæ duritiei, & mollitiei innitūntur, eadem æquabili tributione ipsismet corporibus à natura esse attributas. Alimenta igitur, quæ æquabiliter, quoad fieri potest, mollia sunt, & dura æquabiliter, etiam reliquis tangibus affectionibus exornata necesse est, vt sint; & ob id harū insignis cum humano genere similitudo. Nemo verò mortalium ignorat, omnem commistionem, quæcumque nimirum sit; & quocunque fiat modo; mensurę conformatæ expertem: plane primò ea alimenta omnia aliena à natura hominis reddere, mox ipsa hęc corpora, quæ alunt, sensim perdere, quia iam intemperata sunt, sunt enim nimis, aut dura, aut mollia, talia autem affluentiùs ab ortu quasdam primarum qualitatum receperunt, & perinde copiosiùs etiam induere consequentes primas affectiones; hæc autem ita se habere,*

plane intelligemus, si primarum affectionum concretionem considerabimus; his enim cognitis, reliquarum eßentiæ patebunt. Duri siquidem, & mollis generationes non incognitæ sunt: primò enim in naturæ vsu necessariò patuerunt, nam consistere corpora nequirent, nisi congelerentur: congelatio verò fit, quando materia patitur, & in eam agens operatur. Iam verò agens, vel calore agit, aut frigore: patiens denique, aut humore, aut sicco patitur: quòd cũ ita sit, quid est, cur non alimenta omnia defectu immodico siccescant, siue caloris, siue frigoris interuentu id contingat? atqui propter hunc statum non verendum est, ne ea ob nimiam duritiem coctioni inepta reddantur. Pariter, si eadem alimenta ampliori humore, in eum non agentibus frigore, aut calore, exuberent, nimis effecta mollia, non minus, ac dura, concoctionem subterfugient. Interest igitur plurimùm, vt alimentorum primę affectiones sese vicissim, quadam quasi amicitiæ necessitate, deuinciant: causas enim quæ alimenta æquabiles efficientes habẽt, optima omnium efficientur, siquidem eiusmodi necessariò, quoad fieri potest, aut tenera, siue mollia, aut fragilia, siue ruptilia ęquabiliter etiam fiant, quamobrem nulla in horum coctionibus vitia innasci poterunt: caloris autem naturalis id eße proprium, qui non videt, minus, quæ quamquę perfectionem res à natura consequatur, videt. Etenim, si simillima quę nostro corpori sunt, a calore naturali mutari debent, atque in naturam alendi corporis vberrime conuerti, & corpora quę mutant, in æquilibritate naturarum consistant, perspicuum erit, optimam horum præstantissimam fieri debere concoctionem; quod humani corporis summũ est bonum, iã patefecimus, ex quo intelligi debet, eam caloris naturam vim in se habere per omneis alimentorum uelu-

ti

ti rimas penitissime pertingentem: itaque huiusmodi alimẽta propter commodam suam compagem, debito coctionibus tempore, à ventre cõtinẽtur arctius, in quo, tum alimentorum temperatione, tum caloris cõplexu, ipse primus liquor, quem iecur, & mox venę accipiunt, concrescit: à iecore autem in sanguinẽ uersus, per venas in totũ corpus distribuitur, atque in cunctas carnium, & solidorum partes diuiditur. Sed non prætereundum est, quòd huiusmodi alimenta, siue potestate, siue actu oportet verè esse dulcia, vnde in dulcissimum sanguinem mutatio. In his igitur putandum totius nutricationis consistere principatum, esseq́ue ea alimenta optima, & omnium ciborum dominatu dignissima: quoniam, si in cibis, siue aquosis, siue adstringentibus, siue acidis, siue amaris, siue salsis, siue acribus, tantam solũmodo inesse vim alendi probauimus, quantam illis tribuit dulcedo, in eodem sapore, in quo vis alendi dominatur, pænes dulcia ipsa alendi uis esse necesse est, & uberior omnino, & maior: quocirca absurdũ est dicere, & si alij sapores pręter dulcem alant, & propterea quod delectent, eos integro, & puro, & libero, eodemq́ue suauissimo, & familiarissimo, quo dulcis, calore teneri: quamobrem ex hoc quoque intelligi potest, nec æquabili teneritate, et fragilitate, vt cõtineantur, atque id facilius vt cernamus, omnium saporum natura, & consistentia est repetenda. Quòd primùm in terreno, crasso corpore, adstringenti experiamur: nam, et dentium quasi conflictu, atque tritu duriùs, & ne quid vix teneritatis apparere sentimus, ægerrimeq́ue diuiduũ. Idem ferè in acidis, & id maximè acidioribus videmus fieri, quòd magna vis dentibus in ijs terendis opus sit, neque longa ratio est, qua docemur corpora salsa, & amara prope ortus suos duriora esse, atque dentibus contumacia vide-

ri, auctiori enim calore ista, quia siccescunt, durescunt: quẽadmodum adstringentia, & acida nimio frigore. Iam verò reliqua pars saporum acris ea, & ipsa calore exusta, feruida natura, arctius coagulata, asperam duritiem dentibus exhibet, & mandendi difficultatem. Aquosis verò, humidioribusque corporibus ampliorem humorem, primùm, ipse liquor, tum aquea declarat facilis effusio, cur neque consistere possint, aut teneritate, aut fragilitate, sed nimia humiditate liquefacta, & faciliùs dilapsa, dentium morsum, vel quasi prȩteruolent, atque ob id ventris etiam cõplexum, veluti refugiant, non alliciunt. Itaque comprehendere licet in tantis corporibus, quæ mẽsuram, conformationemque non adipiscuntur, inclusam non esse vim alendo verè aptam, & quò eiusmodi corpora, siue duriora, siue molliora consisterent, eò minus nutrire, nimirum, quia longiùs à mediocritate absistunt. Sin autem coctio alimentorũ motu eius caloris, qui in ventre continetur, perficitur, duriora quidem cuncta, nisi eadem se, admisto calore, quodãmodo liquefacta, & mollita, diffunderent, difficillimè concoquerentur, nec verò uentris feruor ille ingenitus purior, mobiliorque omnes, quasi rimas, eorum compactas nimis ob dictas causas partes peruadere, & penetrare potest: sed, si cõcoctio, perfecta, absolutaque, esse debet à calore naturali, et proprio ex oppositis patibilibus; cũcta necesse est cõplexa, arcte contineat; quapropter horum omnium concoctionem inȩquabilem, imperfectamque esse oportet, quò fit, vt plurimùm succi crudi gignatur, vnde, aut sensim, aut aceruatim deterior gignatur sanguis, quàm humana requirit conditio, ita numquam profectò corpora floreant, & integra consequantur valetudinem. Sic enim res se habet, vt omnia, quæ maturescant, & concoquantur contineant

in

in se vim caloris, sine qua, neque crassescere possunt, neq; cõcrescere: atqui quod aquosum est, nimis molle, nimis inconcretile, nimis incompressibile, nimis diuiduum, nimis deniq; illud cęteris affectionibus, quibus coctu aptius esset, indiget. Ita etiam duriora contraria ratione coctionibus obsistunt, minus enim ipsa sunt liquabilia, minus diuidua, minus compressibilia, minus denique illis cęterę affectiones, quarum virtutibus præstantius subigerentur, innascuntur. Itaq; (vt conclusa nobis iam hæc sit omnis rõ) quemadmodum alimentis fragilibus, & teneris, quod alitur, crescit, & conseruatur longinquum in tempus: quia calor ille salutaris liberius cietur, & motu suo certo, & æquabili agitatur, vera mensura omnia intima, vel omnes rimas alimentorum fouet. At dispari vi, tum duriora, tum molliora conficit, & perficit, illa siquidem nimis resistunt, hęc nimis, quasi cedant, quamobrem, crudis illis remanentibus, tamquam, aut diminuta, aut frigente concoctione, nedum ad dissolutionem naturæ perducimur, sed etiam ante multò occidimus ipsi, & extinguimur.

De Vinis. Cap. XXVIII.

OPus fuit gradatim huc peruenire, vt, si semel suscepimut genus hoc argumenti, doceamus ẽt nunc, quæ quamq; delectent, alant, conseruentq; naturam, in quo animaduertemus, quàm vera, quàmque apta inter se cohærentia, quæ dicentur, de quibus dum pertractamus, magnam nobis dari videmus occasionem, quo nos modo de frigidæ potione, idque ratione concludamus, nimirũ, cur quantam vim in depellendis adurentibus febribus habeat. Explicabimus etiam quidem, quoniam huc ingressi, naturam vini, nostris hominibus dictum, recens, & picans.

In

In hoc autem liceat nobis vellemus, quòd quoque veteribus licuiſſe legimus, cum rem aliquam inueniſſent inuſitatam, inauditamq́ue, ei rei nomen imponere, pręſertim, cum in populari vini ratione noſtra verſetur oratio; populariter igitur concedatur eiuſmodi vinum recens, dulce, & picans, ut vulgò ſolet, appellare. Sed iam aggredior. Vt omnium rerum, quas terra gignit, educatio quædam, & perfectio eſt, ita vites, & nouellæ vigent, & vetulæ ſeneſcunt; ex quo non eſt alienum, aptiora quædam vina ad noſtram naturã ipſas pro varietate ætatum, terrarum, cęli, ferre; quòd etiam, ſi colantur, luxuries circuncidatur, & amputetur, atque adminiculentur, multò neceſſe eſt eſſe cariora, quæ in vita hominum attulerint. Plagæ quidem cæli, quæ frigore rigent, aut vruntur calore, vitem non patiuntur, ex quo perſpicuum eſt, quòd terra ipſa, quaſi conformata ſit, quod hominis natura poſtulat, vbi potiſſimum moderato, ſcilicet vitali, cæleſti calore viget, non intermittit optima omnium profundere vina. Ex terrarum quidem varijs naturis varia exoriuntur genera uinorum: vt autem ſolidiora miſta ex copioſiori terra, ita etiam laxiora à parciori concreſcunt: quamobrem conuenit, nigræ vuæ vt ex denſiori ſubſtantia terrena procreentur, at reliquæ, ut minus, plus vè terrę in concretione ſumſerint, colores quoque, & conſiſtentiam ſortiuntur: eadem ratione, quæ eſſentiam duram, craſſam, denſam, aſſecutæ ſunt, haudquaquam generoſa producunt vina: quæ mollem, raram, tenuẽ, calidiora: quæ denique intra has conſiſtunt, mediam adipiſcuntur naturam: hinc eſt cauſa, cur vuis, quæ ex acino vinaceo generantur, tum candidis, tum fuluis, tum nigris, tum magnis, tum paruis, tum rotundis, tum oblongis, tum duris, tum mollibus, res ruſticę ſunt lætæ. Quemadmodũ

autem

autem in reliquis rebus ſapidis tanti coaleſcunt ſapores, ita etiam non ſecus in vuis inducũtur: nihil enim impedit, quominus per rerum naturas, ex quibus ſapores ipſi emergunt, illabentes curſus aquarum lenti, & tardi, interdum magis terrę, interdum aquæ, interdum magis aeris, interdum magis ignis, interdum omnium pares, aut impares portiones ſumant, atque ita, vt ipſa coaleſcant, efficiunt, quò fit, vt omne vinum, vel ſaporem vnum, vel plures, ſiue æquabiliter, ſiue inæquabiliter repreſentet. Ex vitibus ergo, quæ minus ſilueſcunt ſarmentis, (ex quibus agreſtia tamen uina etiam exprimuntur) atque ſub cęlo lętiori, vuę oriuntur; primò illæ quidem peracerbę guſtatui, deinde ſucco terræ, & calore Solis augeſcentibus, per medios ſapores trãſeuntes, maturatæ, dulceſcunt; Etenim ſtatim, ac vua ſe extulit, terra, tamquam gremio emollito, parum ei ſuppeditat ſucci; huic, calore Solis ſubacto, ſi humiditas influat aquea, adhuc ſatis etiam terrena, vino adſtrictio acquiritur, mox, copioſiori humiditate aerea vuas allambente, terrenitatem linquentes, ſenſim ipſę tenuitatem induunt, ac ſic vinis conciliatur aciditas, quòd, ſi iam accedat amplior humiditas aerea caleſcens, dulcedinem infert uinis expetitam: quę aũt longa uetuſtate durant, caliditatem aſciſcunt, et aliquãdo ſalſa, & amara videntur, & perinde ſicca. Atqui, ſi adhuc progrediente ętate feruor quidam augetur, vina fiunt in dies acria. Nec verò vinorum vires, & delectationis voluptates magis, quàm ſaporum virtute, & miſtione metiuntur. Fuerit autem communis de vinis experientia, & ratio. Ea, quæ plurium ſaporum affectionibus miſta ſunt, nẽpe, quæ vnà ſimul adſtringentia, acida, dulcia, ſalſa, amara, acria ſentiuntur, apertiùs eius ſaporis vim referunt, cuius facultas aliorũ facultates ita vinceret,

ret, vt obscuraret, mox reliquorum certo ordine vireis explicant, vt semper ualidiores imbecilliori in agendo anteponantur. Vbi lęta arua orientē Solē spectant: & ibi nobilissima vina progignuntur, at alia aliam delectant loca culturā. Ne verò ulla restet causa, quæ maximè augere, atq; sollicitam habere nostram vinorum cognitionem possit: redeo ad ea, quæ de alimentorū signis descripsimus: quocirca, vt meliùs, & prudentiùs vina depingantur, hic etiā vinis teneritatis, & fragilitatis rationem accommodemus, atque quadam analogia adiungamus, modò eam seruemus proportionem, qua ista in vinis etiam sibi respondere addiscamus: hęc enim, si nulla fuisset, nulla horū, nisi per sapores omnino haberetur cognitio. Speciem vinorum, quia vna simplex, & vniusmodi esse debet, in vino vere dulci collocemus. Quemadmodum igitur in cibis dulcem saporem humanę, atque optimæ naturę simillimam comprobauimus, si tamen, quoad potest, aliorum saporum fuerit expers. Ne verò nouitate nominum videantur obscura, quæ dicemus, antiquam verborum fortè in vinis consuetudinem deseremus, & vsitatam sequemur: non enim, dum latinæ loquātur litterę, intelligentia huic rei deerit; licebit enim ratione, & arte distinguere, vt nihil interesse videatur. Quocirca, quę olim in alimentis tenera, nunc in vinis populari fama mollia, & quæ frangibilia, nūc suauia appellemus, his enim vocibus plerique vulgò vina omnium pręstantissima nominant, quibus vtrumque inest. Igitur quæ dulcia, mollia, & suauia vocabimus, vina ea principatum uinorum tenere intelligemus, atque hominis naturæ optimę congruentia maximè esse: neque in natura vinorum quidquam eximiùs, nisi inscite, posse reperiri credemus, quoniā ex purissimis elementorum partibus gignuntur, atque minimum

nimum alienæ naturę ſumunt, ob id terræ, aquæ, ætheris, ignis tantùm continent, vt nulla ferè adſtrictionis, aciditatis, ſalſedinis, amaritatis, acrimonię exuperantia in eis eluceat; hinc lenitate, & ſuauitate delectant, atque ſanitati mirum in modum conferunt, bene igitur in vino verè dulci omnia meliora. Halitum non altiorem emittũt, pinguiuſcula enim ſunt, et à frigore non coguntur, etiã ſi vrantur; nomine quidem vina ſunt, & quæ vulgò putantur, re autem, & opere talia non ſunt, ſed erunt quiddam excellentiùs: ſuccus enim dulcis vinoſus non eſt, ac propterea temulentiam non affert: cum omne reliquum vini genus ebrietatem afferat, ob id flammam etiam concipit, & edit. H. 3. ac. 1. 4. mer. cap. 2. 9. Ariſt. *Vt fortè iniuſtè ab antiquis legis latoribus pueri, magiſtratus, milites, generationi indulgentes, ſerui ab his arceãtur, niſi fortè ne caritatem inducerẽt, ſi paſſim cunctis concederentur. Sed nos inſipientiores, quàm illi ipſi qui ridentes legent. Ad rem. Quòd, ſi vinum dulce aliorum ſaporum facultatibus permiſceatur, eatenus à propria beneficentia, & bonitate deflectit, quatenus eorum naturam ęmulabitur, quapropter, ſi alienam affluentiùs aſciſceret virtutẽ, eò grauius impedit, quominus coctiones ritè perficiantur. Siquidem adſtrictioni iunctum propter terrenam, & frigidam naturam, ipſa, deteriores vt fiant, efficit, alimentorum diſtributionem retardat, venis, carnibus anguſtiam inuehit, vnde promptę putredines, & corruptelæ. Aſſumpta aciditate calorem imminuit. Salſa, & amara, ſi dulcibus permiſcentur, nonnumquam vti medicamenta prodeſſent, ſed vti alimenta nec vmquam expetuntur. Acrimonia rarò dulci vino iungitur: ſin: caput petunt, augent faces caloris, ſanis quidem haud ſana erunt: in ſumma: memoria eorum, quæ fuſius diſputauimus, in idem cũ*

erit, si ita putatum erit, & intellectum. Alimenta temperatißima esse, quę omnibus tãgibilibus affectionibus eousq; prædita sunt, ut non ulla eorum magis, quàm alia teneantur; talia autem æquabili natura, ac iusta tributione, ut potiantur, necesse est: non fieri enim potest, ullam vim reperiri naturę, quæ sui dissimilia in una natura poßit effingere: Itaque hæc continuò reciprocantur. Si temperatißima alimenta dantur, illa protinus nulla affectione excellentiùs insigniuntur: rursus, si huiusmodi reperirentur, eadem necessariò erunt temperatißima: quid autem est, cur dubitandum sit, quin sit id, quod dictum est, verissimum, si ratio secum facit? Etenim corpora omnia è calore, aut frigore, tamquam agentibus, è sicco verò, & humore, tamquam perpetientibus, coagulantur: & humor quidem, & siccum initia affectionum omnium corporibus præbent, primæ autem existunt durum, & molle, reliquæ verò ex ijs oriri credũtur, corpora tamen utrius magis consortia sunt, eius etiam naturam pleniùs referunt. Equidem primæ putandæ sunt affectiones illæ, quę maximè corpora terminare queunt, tales verò sane sunt durities, & mollities. Illam sic finiunt, quòd tactui non cedat, hanc, quòd illi cedat. His ita constitutis, quod volumus, & sentimus, sic erit expressum. Alimenta, videlicet, temperatißima, cum ex abundanti, nec frigidum, nec calidum, nec siccum, nec humidum ascißcerent, ea tenera, & fragilia esse, atque talia nihil in se habere, quod reprehendi poßit, atque ex ijs naturis in unum æquabiliter congestis, quæ alendo essent, quod effici potuit optimum, effectum est: quoniam in illis omneis corporum tangibiles affectiones ea mensura coeunt, ut neque ad usum meliora potuerint esse, neque ad gustatum delicatiora, neque ex alijs, quibusuis præstantior sanguis

gigni

gigni potest. *Vt verò clariora, & certiora iam enarrata fiant, rationem subijciendam putamus, cur ita sit. Inde* l. 4. met. c.2. *sumpto initio. Equidem prima sunt corporum omnium, iam tamen suis terminis circumscriptorum, initia siccitas, & humor, quia ita, vt terminentur, sibi inuicem causæ habentur, enimuerò necesse est, vt ipsa statim, vbi suis termi nis absoluta fuerint corpora, vel dura, vel mollia protinus appareant, antequam alias referant affectiones, atque corpora singula eius potius sint elementi, cuius vim, & naturam magis retinuerint; humor autem ad aquam, siccitas ad terram refertur, quòd si vlla reperirētur corpora, quę neutrius naturam ex abundanti referrent, non esset quisquam, qui duce ratione non cognosceret, eiusmodi corpora æquabili tributione, vt coalescerent, necesse esse. Sin hæc constanti ratione uera iudicantur, ad hoc etiam est illud consequēs, quod promiscue, & communiter stultis, & sapientibus patere potest; nimirum, reliquas affectiones tangibiles, quæ duritiei, & mollitiei innituntur, eadem æquabili tributione ipsismet corporibus à natura esse attributas. Alimenta igitur, quæ æquabiliter, quoad fieri potest, mollia sunt, & dura æquabiliter, etiam reliquis tangilibus affectionibus exornata necesse est, vt sint; & ob id harū insignis cum humano genere similitudo. Nemo verò mortalium ignorat, omnem commistionem, quæcumque nimirum sit; & quocunque fiat modo; mensurę conformatæ expertem: plane primò ea alimenta omnia aliena à natura hominis reddere, mox ipsa hęc corpora, quæ alunt, sensim perdere, quia iam intemperata sunt, sunt enim nimis, aut dura, aut mollia, talia autem affluentiùs ab ortu quasdam primarum qualitatum receperunt, & perinde copiosiùs etiam induere consequentes primas affectiones; hæc autem ita se habere,*

ti rimas penitissime pertingentem: itaque huiusmodi alimẽta propter commodam suam compagem, debito coctionibus tempore, à ventre cõtinẽtur arctius, in quo, tum alimentorum temperatione, tum caloris cõplexu, ipse primus liquor, quem iecur, & mox venę accipiunt, concrescit: à iecore autem in sanguinẽ uersus, per venas in totũ corpus distribuitur, atque in cunctas carnium, & solidorum partes diuiditur. Sed non prætereundum est, quòd huiusmodi alimenta, siue potestate, siue actu oportet verè esse dulcia, vnde in dulcissimum sanguinem mutatio. In his igitur putandum totius nutricationis consistere principatum, esseque ea alimenta optima, & omnium ciborum dominatu dignissima: quoniam, si in cibis, siue aquosis, siue adstringentibus, siue acidis, siue amaris, siue salsis, siue acribus, tantam solũmodo inesse vim alendi probauimus, quantam illis tribuit dulcedo, in eodem sapore, in quo vis alendi dominatur, pænes dulcia ipsa alendi uis esse necesse est, & uberior omnino, & maior: quocirca absurdũ est dicere, & si alij sapores pręter dulcem alant, & propterea quod delectent, eos integro, & puro, & libero, eodemque suauissimo, & familiarissimo, quo dulcis, calore teneri: quamobrem ex hoc quoque intelligi potest, nec æquabili teneritate, et fragilitate, vt cõtineantur, atque id facilius vt cernamus, omnium saporum natura, & consistentia est repetenda. Quòd primùm in terreno, crasso corpore, adstringenti experiamur: nam, et dentium quasi conflictu, atque tritu duriùs, & ne quid vix teneritatis apparere sentimus, ægerrimeque diuiduũ. Idem ferè in acidis, & id maximè acidioribus videmus fieri, quòd magna vis dentibus in ijs terendis opus sit, neque longa ratio est, qua docemur corpora salsa, & amara prope ortus suos duriora esse, atque dentibus contumacia videri,

ri, auctiori enim calore ista, quia siccescunt, durescunt: quẽadmodum adstringentia, & acida nimio frigore. Iam verò reliqua pars saporum acris ea, & ipsa calore exusta, feruida natura, arctius coagulata, asperam duritiem dentibus exhibet, & mandendi difficultatem. Aquosis verò, humidioribusque corporibus ampliorem humorem, primùm, ipse liquor, tum aquea declarat facilis effusio, cur neque consistere possint, aut teneritate, aut fragilitate, sed nimia humiditate liquefacta, & faciliùs dilapsa, dentium morsum, vel quasi pręteruolent, atque ob id ventris etiam cõplexum, veluti refugiant, non alliciunt. Itaque comprehendere licet in tantis corporibus, quæ mẽsuram, conformationemque non adipiscuntur, inclusam non esse vim alendo verè aptam, & quò eiusmodi corpora, siue duriora, siue molliora consisterent, eò minus nutrire, nimirum, quia longiùs à mediocritate absistunt. Sin autem coctio alimentorũ motu eius caloris, qui in ventre continetur, perficitur, duriora quidem cuncta, nisi eadem se, admisto calore, quodãmodo liquefacta, & mollita, diffunderent, difficillimè concoquerentur, nec verò uentris feruor ille ingenitus purior, mobiliorque omnes, quasi rimas, eorum compactas nimis ob dictas causas partes peruadere, & penetrare potest: sed, si cõcoctio, perfecta, absolutaque, esse debet à calore naturali, et proprio ex oppositis patibilibus; cũcta necesse est cõplexa, arcte contineat; quapropter horum omnium concoctionem inęquabilem, imperfectamque esse oportet, quò fit, vt plurimùm succi crudi gignatur, vnde, aut sensim, aut acervatim deterior gignatur sanguis, quàm humana requirit conditio, ita numquam profectò corpora floreant, & integra consequantur valetudinem. Sic enim res se habet, vt omnia, quæ maturescant, & concoquantur contineant

in se vim caloris, sine qua, neque crassescere possunt, neq; cõcrescere: atqui quod aquosum est, nimis molle, nimis inconcretile, nimis incompressibile, nimis diuiduum, nimis deniq; illud cęteris affectionibus, quibus coctu aptius esset, indiget. Ita etiam duriora contraria ratione coctionibus obsistunt, minus enim ipsa sunt liquabilia, minus diuidua, minus compressibilia, minus denique illis cęterę affectiones, quarum virtutibus præstantius subigerentur, innascuntur. Itaq; (vt conclusa nobis iam hæc sit omnis rõ) quemadmodum alimentis fragilibus, & teneris, quod alitur, crescit, & conseruatur longinquum in tempus: quia calor ille salutaris liberius cietur, & motu suo certo, & æquabili agitatur, vera mensura omnia intima, vel omnes rimas alimentorum fouet. At dispari vi, tum duriora, tum molliora conficit, & perficit, illa siquidem nimis resistunt, hęc nimis, quasi cedant, quamobrem, crudis illis remanentibus, tamquam, aut diminuta, aut frigente concoctione, nedum ad dissolutionem naturæ perducimur, sed etiam ante multò occidimus ipsi, & extinguimur.

De Vinis. Cap. XXVIII.

Opus fuit gradatim huc peruenire, vt, si semel suscepimut genus hoc argumenti, doceamus ẽt nunc, quæ quamq; delectent, alant, conseruentq; naturam, in quo animaduertemus, quàm vera, quàmque apta inter se cohærentia, quæ dicentur, de quibus dum pertractamus, magnam nobis dari videmus occasionem, quo nos modo de frigidæ potione, idque ratione concludamus, nimirũ, cur quantam vim in depellendis adurentibus febribus habeat. Explicabimus etiam quidem, quoniam huc ingressi, naturam vini, nostris hominibus dictum, recens, & picans.

In

In hoc autem liceat nobis vellemus, quòd quoque veteribus licuisse legimus, cum rem aliquam inuenissent inusitatam, inauditamque, ei rei nomen imponere, presertim, cum in populari vini ratione nostra versetur oratio; populariter igitur concedatur eiusmodi vinum recens, dulce, & picans, ut vulgò solet, appellare. Sed iam aggredior. Vt omnium rerum, quas terra gignit, educatio quædam, & perfectio est, ita vites, & nouellæ vigent, & vetulæ senescunt; ex quo non est alienum, aptiora quædam vina ad nostram naturā ipsas pro varietate ætatum, terrarum, cęli, ferre; quòd etiam, si colantur, luxuries circuncidatur, & amputetur, atque adminiculentur, multò necesse est esse cariora, quæ in vita hominum attulerint. Plagæ quidem cæli, quæ frigore rigent, aut vruntur calore, vitem non patiuntur, ex quo perspicuum est, quòd terra ipsa, quasi conformata sit, quod hominis natura postulat, vbi potissimum moderato, scilicet vitali, cœlesti calore viget, non intermittit optima omnium profundere vina. Ex terrarum quidem varijs naturis varia exoriuntur genera uinorum: vt autem solidiora mista ex copiosiori terra, ita etiam laxiora à parciori concrescunt: quamobrem conuenit, nigræ vuæ vt ex densiori substantia terrena procreentur, at reliquæ, ut minus, plus vè terrę in concretione sumserint, colores quoque, & consistentiam sortiuntur: eadem ratione, quæ essentiam duram, crassam, densam, assecutæ sunt, haudquaquam generosa producunt vina: quæ mollem, raram, tenuē, calidiora: quæ denique intra has consistunt, mediam adipiscuntur naturam: hinc est causa, cur vuis, quæ ex acino vinaceo generantur, tum candidis, tum fuluis, tum nigris, tum magnis, tum paruis, tum rotundis, tum oblongis, tum duris, tum mollibus, res rusticę sunt lætæ. Quemadmodū

autem

autem in reliquis rebus sapidis tanti coalescunt sapores, ita etiam non secus in vuis inducũtur: nihil enim impedit, quominus per rerum naturas, ex quibus sapores ipsi emergunt, illabentes cursus aquarum lenti, & tardi, interdum magis terrę, interdum aquæ, interdum magis aeris, interdum magis ignis, interdum omnium pares, aut impares portiones sumant, atque ita, vt ipsa coalescant, efficiunt, quò fit, vt omne vinum, vel saporem vnum, vel plures, siue æquabiliter, siue inæquabiliter representet. Ex vitibus ergo, quæ minus siluescunt sarmentis, (ex quibus agrestia tamen uina etiam exprimuntur) atque sub cęlo lętiori, vuę oriuntur; primò illæ quidem peracerbę gustatui, deinde succo terræ, & calore Solis augescentibus, per medios sapores trãseuntes, maturatæ, dulcescunt; Etenim statim, ac vua se extulit, terra, tamquam gremio emollito, parum ei suppeditat succi; huic, calore Solis subacto, si humiditas influat aquea, adhuc satis etiam terrena, vino adstrictio acquiritur, mox, copiosiori humiditate aerea vuas allambente, terrenitatem linquentes, sensim ipsę tenuitatem induunt, ac sic vinis conciliatur aciditas, quòd, si iam accedat amplior humiditas aerea calescens, dulcedinem infert uinis expetitam: quę aũt longa uetustate durant, caliditatem asciscunt, et aliquãdo salsa, & amara videntur, & perinde sicca. Atqui, si adhuc progrediente ętate feruor quidam augetur, vina fiunt in dies acria. Nec verò vinorum vires, & delectationis voluptates magis, quàm saporum virtute, & mistione metiuntur. Fuerit autem communis de vinis experientia, & ratio. Ea, quæ plurium saporum affectionibus mista sunt, nẽpe, quæ vnà simul adstringentia, acida, dulcia, salsa, amara, acria sentiuntur, apertiùs eius saporis vim referunt, cuius facultas aliorũ facultates ita vinceret,

ret, vt obscuraret, mox reliquorum certo ordine vireis explicant, vt semper ualidiores imbecilliori in agendo anteponantur. Vbi lęta arua orientē Solē spectant: & ibi nobilissima vina progignuntur, at alia aliam delectant loca culturā. Ne verò ulla restet causa, quæ maximè augere, atq; sollicitam habere nostram vinorum cognitionem possit: redeo ad ea, quæ de alimentorū signis descripsimus: quocirca, vt melius, & prudentiùs vina depingantur, hic etiā vinis teneritatis, & fragilitatis rationem accommodemus, atque quadam analogia adiungamus, modò eam seruemus proportionem, qua ista in vinis etiam sibi respondere addiscamus: hęc enim, si nulla fuisset, nulla horū, nisi per sapores omnino haberetur cognitio. Speciem vinorum, quia vna simplex, & vniusmodi esse debet, in vino vere dulci collocemus. Quemadmodum igitur in cibis dulcem saporem humanę, atque optimæ naturę simillimam comprobauimus, si tamen, quoad potest, aliorum saporum fuerit expers. Ne verò nouitate nominum videantur obscura, quæ dicemus, antiquam verborum fortè in vinis consuetudinem deseremus, & vsitatam sequemur: non enim, dum latinæ loquātur litterę, intelligentia huic rei deerit; licebit enim ratione, & arte distinguere, vt nihil interesse videatur. Quocirca, quę olim in alimentis tenera, nunc in vinis populari fama mollia, & quæ frangibilia, nūc suauia appellemus; his enim vocibus plerique vulgò vina omnium pręstantissima nominant, quibus vtrumque inest. Igitur quæ dulcia, mollia, & suauia vocabimus, vina ea principatum uinorum tenere intelligemus, atque hominis naturæ optimę congruentia maximè esse: neque in natura vinorum quidquam eximiùs, nisi inscite, posse reperiri credemus, quoniā ex purissimis elementorum partibus gignuntur, atque minimum

nimum

nimum alienæ naturę sumunt, ob id terræ, aquæ, ætheris, ignis tantùm continent, vt nulla ferè adstrictionis, aciditatis, salsedinis, amaritatis, acrimonię exuperantia in eis eluceat; hinc lenitate, & suauitate delectant, atque sanitati mirum in modum conferunt, bene igitur in vino verè dulci omnia meliora. Halitum non altiorem emittũt, pinguiuscula enim sunt, et à frigore non coguntur, etiã si vrantur; nomine quidem vina sunt, & quæ vulgò putantur, re autem, & opere talia non sunt, sed erunt quiddam excellentiùs: succus enim dulcis vinosus non est, ac propterea temulentiam non affert: cum omne reliquum vini genus ebrietatem afferat, ob id flammam etiam concipit, & edit. H. 3. ac. 1. 4. mer. cap. 2. 9. Arist. *Vt fortè iniustè ab antiquis legis latoribus pueri, magistratus, milites, generationi indulgentes, serui ab his arceãtur, nisi fortè ne caritatem inducerẽt, si passim cunctis concederentur. Sed nos insipientiores, quàm illi ipsi qui ridentes legent. Ad rem. Quòd, si vinum dulce aliorum saporum facultatibus permisceatur, eatenus à propria beneficentia, & bonitate deflectit, quatenus eorum naturam ęmulabitur, quapropter, si alienam affluentiùs asciscerct virtutẽ, eò grauius impedit, quominus coctiones ritè perficiantur. Siquidem adstrictioni iunctum propter terrenam, & frigidam naturam, ipsa, deteriores vt fiant, efficit, alimentorum distributionem retardat, venis, carnibus angustiam inuehit, vnde promptę putredines, & corruptelæ. Assumpta aciditate calorem imminuit. Salsa, & amara, si dulcibus permiscentur, nonnumquam vti medicamenta prodessent, sed vti alimenta nec vmquam expetuntur. Acrimonia rarò dulci vino iungitur: sin: caput petunt, augent faces caloris, sanis quidem haud sana erunt: in summa: memoria eorum, quæ fusius disputauimus, in idem cũ*

sensibus incidens, & illæ, quæ his in dictis affectiones explicantur, rationem omnium horum, quæ in vinis quoque præponderari debent, si animis nostris nunc nobis quidem, veluti, inscribere videntur, ut eadem referre inutiliter nos moleste tulimus. Quamobrem, vt de uino dulci, suaui, & molli peroremus, sic habetote. Ipsum gustatus beneficio: quemadmodum genera omnia eorũ, quibus uescimur: rectissime sentiri, & dijudicari, & potius, quoniam gustatus tactus est quidam, in tota lingua fusus æquabiliter, nec non dentium radicibus; vt omnes affectiones tangibiles comprehenderet, quas quidem solus discernere tactus potest, vt earum cognitione, cùm esculentorum, tùm potulentorum omnium acerrimum iudicium natura ipsa ferret, cuius nuntius, & interpres tactus ipse existit. Gustatus igitur, tamquam tactus quidã, omnes nimios, & primarũ qualitatum, & primarum tangibilium affectionũ appulsus iudicat, quòd, si has penitus introspexerimus, faciliùs eas, quæ ab illis exoriuntur, agnoscemus. Primas aũt corporũ affectiones ne intelligi quidẽ potest, alias esse, prę ter molle, & durum; siquidem quemadmodum, vel hoc, aut illud corpus, vel ad exiguum quoddam tempus, aut cohærere, aut liquari possit (semper enim sane corpora nullo modo neutrum possunt) non percipere possumus, nisi frigiditas, & caliditas, quæ prima rerum sunt efficientia, agant; item nisi siccitas, & humiditas, quę prima rerum sunt patientia, perpetiantur. Iam verò primæ inter se affectiones admisceãtur necesse est, vt reliquæ ex eorum innumerabili fere mistionum varietate emergant; quas, quamquam magna ex parte percurrere oratione facile esset, longiùs tamen, & quodammodo infinitum pæne in hoc cursu esset: propterea probe stabilitum sit, & fixum: in uinis,

quadam

quadam analogia, quid tamquam durum, & tamquam laxum sit, cognoscẽdum esse, ne relinquatur, unde aliquid erroris oriatur, illæ etsi prȩteritæ minimè ad eam, quam quȩrimus cognitionem, conferre videãtur, eò magis, quòd potestate in primis omnes cõtineantur. Age: dicamus, an quidem alijs modis easdem res efferre possimus? Ita nec a doctis irridebimur, si enunciemus ea vina dura uideri, quæ crassa, densa, acerba a gustatu iudicantur; quȩ verò rara, tẽuia, alba, aquea, iudicantur per quamdam similitudinum laxa, & tantarum dissimilitudinem, quæ vinis adsunt, hȩc maximè primȩ sunt tangibiles affectiones, ex quibus collegia tota reliquarum exoriantur: quin in tanta varietate vinorum peiora a melioribus ipsȩ affectiones distinguunt: mollia enim, & suauia, vti diximus, æquilibritate affectionum abundant, & ob id aptissima ad fungendum omnibus vitȩ muneribus censentur: dura autem, & laxa ad cõmoda vitæ inutiliora; sed vtilitatum, & detrimentorum comparatio inter se fieri debet, quare hȩc nos assidue spectare debemus, atque perinde intelligere, quòd, tum ea vina, quæ quadam analogia duritiei, tum quæ laxitati maximè respondent, omnia penitus sint fugienda; ea autem amplectenda, quæ mollia sunt, & suauia, aut quæ his maximè appropinquant: harum enim conditionum accessione vt meliora, ita decessione peiora fiunt. Cum autem vinorum quȩdam: quibus mediorum nomen inditum esse volumus; media bona sibi comparent, quia adumbrata dulcedine, leui adstrictione, aciditatiue coniuncta condiuntur; existimantur ipsa cumulate bona, veluti dulcia, id fit, propterea quod vulgus, quid absit à perfecto, non ex toto intelligit, etsi, quatenus intelligit, nihil putat ijs deesse: quòd quidem in vinis præcipue; quæ recentia, dulcia, & picantia licuisse

 nomi-

ti rimas penitissime pertingentem: itaque huiusmodi alimẽta propter commodam suam compagem, debito coctionibus tempore, à ventre cõtinẽtur arctius, in quo, tum alimentorum temperatione, tum caloris cõplexu, ipse primus liquor, quem iecur, & mox venę accipiunt, concrescit: à iecore autem in sanguinẽ uersus, per venas in totũ corpus distribuitur, atque in cunctas carnium, & solidorum partes diuiditur. Sed non prætereundum est, quòd huiusmodi alimenta, siue potestate, siue actu oportet verè esse dulcia, vnde in dulcissimum sanguinem mutatio. In his igitur putandum totius nutricationis consistere principatum, esséque ea alimenta optima, & omnium ciborum dominatu dignissima: quoniam, si in cibis, siue aquosis, siue adstringentibus, siue acidis, siue amaris, siue salsis, siue acribus, tantam solũmodo inesse vim alendi probauimus, quantam illis tribuit dulcedo, in eodem sapore, in quo vis alendi dominatur, pænes dulcia ipsa alendi uis esse necesse est, & uberior omnino, & maior: quocirca absurdũ est dicere, & si alij sapores pręter dulcem alant, & propterea quod delectent, eos integro, & puro, & libero, eodemque suauissimo, & familiarissimo, quo dulcis, calore teneri: quamobrem ex hoc quoque intelligi potest, nec æquabili teneritate, et fragilitate, vt cõtineantur, atque id facilius vt cernamus, omnium saporum natura, & consistentia est repetenda. Quòd primùm in terreno, crasso corpore, adstringenti experiamur: nam, et dentium quasi conflictu, atque tritu duriùs, & ne quid vix teneritatis apparere sentimus, ægerrimeque diuiduũ. Idem ferè in acidis, & id maximè acidioribus videmus fieri, quòd magna vis dentibus in ijs terendis opus sit, neque longa ratio est, qua docemur corpora salsa, & amara prope ortus suos duriora esse, atque dentibus contumacia vide-

in se vim caloris, sine qua, neque crassescere possunt, neq; cõcrescere: atqui quod aquosum est, nimis molle, nimis inconcretile, nimis incompressibile, nimis diuiduum, nimis deniq; illud cęteris affectionibus, quibus coctu aptiùs esset, indiget. Ita etiam duriora contraria ratione coctionibus obsistunt, minus enim ipsa sunt liquabilia, minus diuidua, minus compressibilia, minus denique illis cęterę affectiones, quarum virtutibus præstantiùs subigerentur, innascuntur. Itaq; (vt conclusa nobis iam hæc sit omnis rõ) quemadmodum alimentis fragilibus, & teneris, quod alitur, crescit, & conseruatur longinquum in tempus: quia calor ille salutaris liberiùs cietur, & motu suo certo, & æquabili agitatur, vera mensura omnia intima, vel omnes rimas alimentorum fouet. At dispari vi, tum duriora, tum molliora conficit, & perficit, illa siquidem nimis resistunt, hęc nimis, quasi cedant, quamobrem, crudis illis remanentibus, tamquam, aut diminuta, aut frigente concoctione, nedum ad dissolutionem naturæ perducimur, sed etiam ante multò occidimus ipsi, & extinguimur.

De Vinis. Cap. XXVIII.

Opus fuit gradatim huc peruenire, vt, si semel suscepimut genus hoc argumenti, doceamus ẽt nunc, quæ quamq; delectent, alant, conseruentq; naturam, in quo animaduertemus, quàm vera, quàmque apta inter se cohærentia, quæ dicentur, de quibus dum pertractamus, magnam nobis dari videmus occasionem, quo nos modo de frigidæ potione, idque ratione concludamus, nimirũ, cur quantam vim in depellendis adurentibus febribus habeat. Explicabimus etiam quidem, quoniam huc ingressi, naturam vini, nostris hominibus dictum, recens, & picans,

In

In hoc autem liceat nobis vellemus, quòd quoque veteribus licuisse legimus, cum rem aliquam inuenissent inusitatam, inauditamque, ei rei nomen imponere, prȩsertim, cum in populari vini ratione nostra versetur oratio; populariter igitur concedatur eiusmodi vinum recens, dulce, & picans, ut vulgò solet, appellare. Sed iam aggredior. Vt omnium rerum, quas terra gignit, educatio quædam, & perfectio est, ita vites, & nouellæ vigent, & vetulæ senescunt; ex quo non est alienum, aptiora quædam vina ad nostram naturā ipsas pro varietate ætatum, terrarum, cȩli, ferre; quòd etiam, si colantur, luxuries circuncidatur, & amputetur, atque adminiculentur, multò necesse est esse cariora, quæ in vita hominum attulerint. Plagæ quidem cæli, quæ frigore rigent, aut vruntur calore, vitem non patiuntur, ex quo perspicuum est, quòd terra ipsa, quasi conformata sit, quod hominis natura postulat, vbi potissimum moderato, scilicet vitali, cælesti calore viget, non intermittit optima omnium profundere vina. Ex terrarum quidem varijs naturis varia exoriuntur genera uinorum: vt autem solidiora mista ex copiosiori terra, ita etiam laxiora à parciori concrescunt: quamobrem conuenit, nigræ vuæ vt ex densiori substantia terrena procreentur, at reliquæ, ut minus, plus vè terrȩ in concretione sumserint, colores quoque, & consistentiam sortiuntur: eadem ratione, quæ essentiam duram, crassam, densam, assecutæ sunt, haudquaquam generosa producunt vina: quæ mollem, raram, tenuē, calidiora: quæ denique intra has consistunt, mediam adipiscuntur naturam: hinc est causa, cur vuis, quæ ex acino vinaceo generantur, tum candidis, tum fuluis, tum nigris, tum magnis, tum paruis, tum rotundis, tum oblongis, tum duris, tum mollibus, res rusticȩ sunt lætæ. Quemadmodū

autem

autem in reliquis rebus ſapidis tanti coaleſcunt ſapores, ita etiam non ſecus in vuis inducũtur: nihil enim impedit, quominus per rerum naturas, ex quibus ſapores ipſi emergunt, illabentes curſus aquarum lenti, & tardi, interdum magis terrę, interdum aquæ, interdum magis aeris, interdum magis ignis, interdum omnium pares, aut impares portiones ſumant, atque ita, vt ipſa coaleſcant, efficiunt, quò fit, vt omne vinum, vel ſaporem vnum, vel plures, ſiue æquabiliter, ſiue inæquabiliter repreſentet. Ex vitibus ergo, quæ minus ſilueſcunt ſarmentis, (ex quibus agreſtia tamen uina etiam exprimuntur) atque ſub cęlo lętiori, vuę oriuntur; primò illæ quidem peracerbę guſtatui, deinde ſucco terræ, & calore Solis augeſcentibus, per medios ſapores trãſeuntes, maturatæ, dulceſcunt; Etenim ſtatim, ac vua ſe extulit, terra, tamquam gremio emollito, parum ei ſuppeditat ſucci; huic, calore Solis ſubacto, ſi humiditas influat aquea, adhuc ſatis etiam terrena, vino adſtrictio acquiritur, mox, copioſiori humiditate aerea vuas allambente, terrenitatem linquentes, ſenſim ipſę tenuitatem induunt, ac ſic vinis conciliatur aciditas, quòd, ſi iam accedat amplior humiditas aerea caleſcens, dulcedinem infert uinis expetitam: quę aũt longa uetuſtate durant, caliditatem aſciſcunt, et aliquãdo ſalſa, & amara videntur, & perinde ſicca. Atqui, ſi adhuc progrediente ętate feruor quidam augetur, vina fiunt in dies acria. Nec verò vinorum vires, & delectationis voluptates magis, quàm ſaporum virtute, & miſtione metiuntur. Fuerit autem communis de vinis experientia, & ratio. Ea, quæ plurium ſaporum affectionibus miſta ſunt, nẽpe, quæ vnà ſimul adſtringentia, acida, dulcia, ſalſa, amara, acria ſentiuntur, apertiùs eius ſaporis vim referunt, cuius facultas aliorũ facultates ita vinceret,

ret,

nimum alienæ naturę sumunt, ob id terræ, aquæ, ætheris, ignis tantùm continent, vt nulla ferè adstrictionis, aciditatis, salsedinis, amaritatis, acrimonię exuperantia in eis eluceat; hinc lenitate, & suauitate delectant, atque sanitati mirum in modum conferunt, bene igitur in vino verè dulci omnia meliora. Halitum non altiorem emittũt, pinguiuscula enim sunt, et à frigore non coguntur, etiã si vrantur; nomine quidem vina sunt, & quæ vulgò putantur, re autem, & opere talia non sunt, sed erunt quiddam excellentiùs: succus enim dulcis vinosus non est, ac propterea temulentiam non affert: cum omne reliquum vini genus ebrietatem afferat, ob id flammam etiam concipit, & edit. Vt fortè iniustè ab antiquis legis latoribus pueri, magistratus, milites, generationi indulgentes, serui ab his arceãtur, nisi fortè ne caritatem inducerẽt, si passim cunctis concederentur. Sed nos insipientiores, quàm illi ipsi qui ridentes legent. Ad rem. Quòd, si vinum dulce aliorum saporum facultatibus permisceatur, eatenus à propria beneficentia, & bonitate deflectit, quatenus eorum naturam ęmulabitur, quapropter, si alienam affluentiùs ascisceret virtutẽ, eò grauius impedit, quominus coctiones ritè perficiantur. Siquidem adstrictioni iunctum propter terrenam, & frigidam naturam, ipsa, deteriores vt fiant, efficit, alimentorum distributionem retardat, venis, carnibus angustiam inuehit, vnde promptę putredines, & corruptelæ. Assumpta aciditate calorem imminuit. Salsa, & amara, si dulcibus permiscentur, nonnumquam vti medicamenta prodessent, sed vti alimenta nec vnquam expetuntur. Acrimonia raro dulci vino iungitur: sin: caput petunt, augent faces caloris, sanis quidem haud sana erunt: in summa: memoria eorum, quæ fusius disputauimus, in idem cũ

H. 3. ac. 1. 4. mer. cap. 2 9. Arist.

sensibus incidens, & illæ, quæ his in dictis affectiones explicantur, rationem omnium horum, quæ in vinis quoque præponderari debent, si animis nostris nunc nobis quidem, veluti, inscribere videntur, ut eadem referre inutiliter nos moleste tulimus. Quamobrem, vt de uino dulci, suaui, & molli peroremus, sic habetote. Ipsum gustatus beneficio: quemadmodum genera omnia eorũ, quibus uescimur: rectissime sentiri, & dijudicari, & potius, quoniam gustatus tactus est quidam, in tota lingua fusus æquabiliter, nec non dentium radicibus; vt omnes affectiones tangibiles comprehenderet, quas quidem solus discernere tactus potest, vt earum cognitione, cùm esculentorum, tùm potulentorum omnium acerrimum iudicium natura ipsa ferret, cuius nuntius, & interpres tactus ipse existit. Gustatus igitur, tamquam tactus quidã, omnes nimios, & primarũ qualitatum, & primarum tangibilium affectionũ appulsus iudicat, quòd, si has penitus introspexerimus, faciliùs eas, quæ ab illis exoriuntur, agnoscemus. Primas aũt corporũ affectiones ne intelligi quidẽ potest, alias esse, prę-ter molle, & durum; siquidem quemadmodum, vel hoc, aut illud corpus, vel ad exiguum quoddam tempus, aut cohærere, aut liquari possit (semper enim sane corpora nullo modo neutrum possunt) non percipere possumus, nisi frigiditas, & caliditas, quæ prima rerum sunt efficientia, agant; item nisi siccitas, & humiditas, quę prima rerum sunt patientia, perpetiantur. Iam verò primæ inter se affectiones admisceãtur necesse est, vt reliquæ ex eorum innumerabili fere mistionum varietate emergant; quas, quamquam magna ex parte percurrere oratione facile esset, longiùs tamen, & quodammodo infinitum pæne in hoc cursu eßet: propterea probe stabilitum sit, & fixum: in uinis,

quadam

quadam analogia,quid tamquam durum , & tamquam laxum sit,cognoscēdum esse, ne relinquatur,unde aliquid erroris oriatur,illæ etsi pręteritæ minimè ad eam,quam quęrimus cognitionem,conferre videātur, eò magis,quòd potestate inprimis omnes cōtineantur. Age: dicamus,an quidem alijs modis easdem res efferre possimus? Ita nec a doctis irridebimur, si enunciemus ea vina dura uideri, quæ crassa,densa,acerba a gustatu iudicantur; quę verò rara,tēuia, alba,aquea,iudicantur per quamdam similitudinum laxa, & tantarum dissimilitudinem,quæ vinis adsunt, hęc maximè primę sunt tangibiles affectiones, ex quibus collegia tota reliquarum exoriantur : quin in tanta varietate vinorum peiora a melioribus ipsę affectiones distinguunt : mollia enim , & suauia , vti diximus, æquilibritate affectionum abundant, & ob id aptissima ad fungendum omnibus vitę muneribus censentur: dura autem, & laxa ad cōmoda vitæ inutiliora; sed vtilitatum, & detrimentorum comparatio inter se fieri debet,quare hęc nos assidue spectare debemus,atque perinde intelligere, quòd, tum ea vina, quæ quadam analogia duritiei, tum quæ laxitati maximè respondent,omnia penitus sint fugienda; ea autem amplectenda,quæ mollia sunt, & suauia,aut quæ his maximè appropinquant : harum enim conditionum accessione vt meliora,ita decessione peiora fiunt. Cum autem vinorum quędam : quibus mediorum nomen inditum esse volumus; media bona sibi comparent,quia adumbrata dulcedine,leui adstrictione,aciditati ve coniuncta condiuntur; existimantur ipsa cumulate bona,veluti dulcia,id fit,propterea quod vulgus, quid absit à perfecto, non ex toto intelligit, etsi, quatenus intelligit,nihil putat ijs deesse : quòd quidem in vinis præcipue; quæ recentia,dulcia, & picantia licuisse

nominare cupimus, usu euenit, in alijsque compluribus dulcibus, quę multorum saporum confusione constant, quibus delectantur imperiti, & ea laudant: continent enim quidē in se aliquid voluptatis, quo uoluptuosi falsa veritatis imagine capiuntur, siquidem decepti, quàm à verè dulcibus uinis differant, nequeunt discernere: itaque ij omnes sunt commonendi, media vina ex mediorum bonorum copia egregiam similitudinem gerere, speciemque optimorum, & verè dulcium: quocirca illa, vel vtilitatum magnitudine, istis non debent anteferri, modò, si quà ad plenam vinorum intelligentiam est facta progressio; qui tamen vina non perfectione metiuntur, sed quadam iucunditate, desiderijs, satietateque pręponderantur omnia; hi meminerint in deliberando; media vina cum eo, quod vita maius vtile putatur, comparanda esse. Itaque existimamus, primò pluris putare, quod omnino est perfectum verè dulce, externa affectione carens, & in hoc addubitare turpissimum est: nā, si optimo, quo nihil possit esse præstantius, aliquem reperiremus, qui non delectaretur, hunc profectò temperatę naturæ esse posse constantissime negaremus: atque hoc in loco minimè prætereamus, quòd, si in omni antiquitate legimus scriptum, vina dulcia, flatum gignere, obstructiones inducere, corpus non permeare, non esse eiusmodi vina dulcia, qualia ipsimet antiqui instar formę vinorum descripserūt, atque omnibus antepofuerunt, sed hęc necesse est, vt nimis aeris, terræ, & aquæ in prima concretione sumserint; nec verò id dubitari potest, quia eiusmodi vini essentiam, modò adspexerimus, spissam, crassam, cernimus, siue nigrum, siue fuluum, siue flauum fuerit, vt etiam terrenæ adstrictionis latentis, atque humiditatis aereę sit particeps; quòd verò succi eo tempore, in quo efferuescunt, & maturescere

debe-

deberent, excellenter non permiscentur, tum constat ex his, tum etiam, quòd adueniente æquinoctio, vel acescant, vel dulcedinem amittant. Nunc hoc fixum sit, quòd media vina, quæ in hoc latissimo interiectu intermedio consistunt, quò propius optimum accedunt, eò magis sunt salutaria; & quò ab hoc absistunt, eò nocentiora, siue vno sinceriori sapore, siue pluribus prædita fuerint: quin fatendum est, quòd gustatus, qui talibus delectarētur vinis, tēperatione illis consentanea ipsi tenerentur, ex quo intelligi potest, quòd eorum naturæ ab optima valde distarēt, et propterea, qui illis continuò vterentur morbis insanabilibus, & doloribus intolerabilibus subijcerentur, quia animos quoque haberent, & corporū doloribus coegrescentes, & separatim suis angoribus, & molestijs implicatos. In delectu autem mediorum vinorum cernenda sunt diligenter, ne fallant ea nos vitia eorum, quæ virtutes optimi vini videntur imitari: etenim cùm multa, quæ illi finitima sunt, tùm dulce maximè recens, picans adumbrata imagine formam excellentis exprimit, ita vt omnes ferè vulgò hoc vnum omnibus anteferant, quoniam magnam, & excellentem probitatis, commotionemque suauissimam iucunditatis gustatui influit, quamobrem cupidè expetitur potentium mensis, & largè potatur, quò fit, vt inhęrescat penitus in mentibus, vnde sane homines opinionis errore infecti ipsum optimum censent. Sed, si ortum vini dulcis, recentis, & picantis colligere cæperimus, perficiemus illud quidem, quia hoc excellentis laudem ferè consecutum est, magnumque in gentibus nomen obtinet; quòd se reliqua famosa vina media vere dulci summittant, si ipsum etiam illi cedat. Itaque nobis monendi sunt nostra legentes, vt recordentur septem profecto, nec plura, nec pauciora sapo-

rum

rum genera sapientibus posita. Quamobrem tantùm quisque gustatu saporem dulcem, recentem, picantem experiatur, quãtùm se posse speret cognoscere, aliosque studio optimo, iudicio minus firmo prẹditos, doceat, quæ sit propria virtus cuiusque saporum, hinc enim pendet cognitio omnis. Equidem saporum virtutis moderatrix fuit semper gustantium acuta lingua: omnes autem, qui virtutem probare volunt, actiones saporum, qui linguam allambunt, intuentur, & ad affectionem, quam ipsi relinquunt impressam, iudicium fingunt, ac accommodant. Itaq; acerbus, & austerus sapores, quòd minus à natura politi, minimeque maturi sunt, adsciuerunt gustantium linguis contrahens quoddam, constringens, densans, siccansque, & exasperans, & tamquam terrenum frigidum, quod lente, inæquabiliterque penetrat. Eorum vicinus, non ita lato interuallo gradu, sapor acidus, cum incorruptus est, sincerusque satis, nullam affectionem insolentem, odiosam linguæ infundere solet; itaq; in hoc ipsò diligenter examinando facultatum omnium pondera, inueniemus substantiam suam ésse terrenam quidem, tenuem tamen, frigidamque, & aeream quoque: quamobrem illis præstat in sua actione: sumissius primò linguam allambit, mox sensim incedens, ipsam vt intrat, reliquas internas partes ẹquabiliter subit altiùs, easque mordicat, diuidit, sensum interdum non iniucũdè mouet, lachrymas elicit. Dulcis autem sapor sincerus pro viribus est ille, quem diximus æquabilem vim sumsisse terrẹ, humoris, aeris, & caloris, atque temperatæ naturẹ humanæ esse dicatum, quæ huius nutrimentis educata, ipsa se postea colorat, & roborat propter voluptatem, quã toti linguæ familiarissimus omnium indit maximam. Vina salsa, & amara, si reperiantur, quisquis est paullo ad saporum

rum

rum iucunditatem propensior, facilè intelliget, non satis esse digna victu hominis, eaq; in hac cognitione contemni, & reyci oportere, sunt enim non tam insignia, quàm non utilia. Huic generi acris sapor finitimus est, quem vno calore excellere indicat nomen ipsum: quamobrem non multò secus, quàm salsus, & amarus, ipse etiam ab inquisitione naturæ dulcis, recentis, picantis, quam quærimus, seuocandus est. Nunc iam breuiter dicendum omnino est, quòd, cùm omnia genera saporum scrutari, & iudicari proprium sit gustatus, nouerit quoque hic quidem, dum tamen omnis saporis est expers, causas, virtutes, & effectus, tum singulos separatim, tum omneis vicissim complicatos vini dulcis, picantis, recentis: namque id de omnibus, cum iunctione quadam tenentur, sit probari necesse, quod de singulorum natura seorsum sit probatum: quapropter si sapores, qui in controuersia versantur, & in contentione, diuisim consistunt, nondum dulci, recenti, picanti inesse putantur; sed, si seiuncti reperiuntur, cur quoque, cum congrediuntur, ac vnà commiscentur in se refracti, dulci, recenti, picanti non inerunt? Quin quicunque omnia de saporibus, quorum veluti definitiones certas tradidimus notas, expendet, & seliget: is facilè etiam vini recentis, picantis, dulcis discet ex quo emanent vires, quoniam, si nō adsint adstringenti, si non pingui, si non salso, si nō amaro, si non acri, restat, si iudicium adhibebitur, vt necessariò in dulci, & acido confusis reperiantur: Cum verò saporibus ad vescendum homini natura nihil præstabilius dedisset; huic autem diuino muneri, ac dono nihil esse voluit tam amicum, quàm voluptatē; neque voluptati iucundiorem cupiditatis in delicijs saporum quàm dulcedinem; post verò hanc suauitatem in vllis alijs saporibus similiorem cupiditatem non posse consistere,

quem

quem in dulcis, recentis, picantis titillatione, si quidem ea, cum maior sit, atque longior, reliquorum saporum desideria restinguere videtur, ac suis illecebris oculos perstringit, epulis, exstructisque mensis frequentibus poculis delectat, caret vinolentia, & cruditate, & insomnijs, & si aliquid in vinis dandum est alijs saporibus, illi tribuendum, quia suis blanditijs non facilè obsistimus. Itaque hoc præcipuè plerumque delectantur homines, qui vel maximè vinorum laudi student, facilè etiam est dictu, cur huiusmodi vinum præstatiorem afferat gustatui delectationem, si causam voluptatis commemorabimus, hanc verò probauimus esse confertam, uelocēq; secundum naturam commotionem; quòd, si rerum appetibilium species geminerentur, ac in omnibus, vel in plurimis partibus corporum sentientium diffunderentur; tunc maxima percipitur voluptas: hæc autem omnia, cum in vino dulci, recenti, picanti concurrant, non est mirum, si ipsa summe delectent. Dulcedinem iam, omnium familiarissimam putant omnes, recens verò, & picans geminandarum voluptatum vim augent, dum tenuitate impellūt, vt velociùs sine intermißione aliæ alijs succedant species, ac etiam in vniuersam repente, & contextè linguam in summo, & in profundo æquabiliter diffundantur, quò fit, vt hoc gaudium sit toti ori communißimum. Restat, vt eius formam explicemus, quam quidem, nulla alia illi se admiscente aliorum saporum natura, credimus nō posse sine maiori frigoris, quā caloris sensu reperiri; idq; constanti ratione, & physica dicimus, materiā enim, ex qua constet, partim terrenam probauimus esse sane calescentem, sed cum humiditate aquea magis, quàm aerea, quatenus enim dulcedo confluit, humiditas etiā affluit, quò verò aciditas, humiditas aerea, & tenuium partium. Ex

his

bis quisque, modò adspexerit, videbit vini dulcis, recentis, picantis naturā, interdum, & plerumque, maximè si recens picans vincat dulce, esse potius frigidam; quòd, si dulce acidum vincat; non frigidū modò erit tale vinum, sed nec recentis picantis nomen sibi vindicat, quòd, si æquabiliter inesse omnia spectentur, in frigidi, & calidi medio consistet. Itaque in eo, & formę versantur, & actiones multę omnibus modis confusæ, & variatæ: vt si dulcedinis imbecilliores vireis sentiantur, aut si picantis acriores gustentur, in qua natura, à qua vinum mutuatur nomen, perpetuò maior inest refrigerandi vis; cuius constantissimum signum cernimus; nimirum, potantium oculos, quadam insolita lętitia commotos, gratißimas effundere lachrymas, & quò hoc tenuissimo dulci, recenti, picanti titillantur, eò copiosis perfunduntur lachrymis; quòd, si dulce recens, & picans ęquabiliter in vna natura adoleuerint, illa etiam quibus cohęrent, paria quoque erunt, & vireis sument pares: & quàm aliam alia magis è materijs sumserit, tam se vicissim, & agendo, & patiendo vincet, & vincetur.

De frigidæ potione. Cap. XXIX.

IAm adducti sumus quadam rerum consequētia, vt de potione frigidæ diceremus; quid est causæ, si tāta sit virtus in eius potu ad restinguēdas ardentes febres, cur ea planè in scriptis antiquorum non descripta fuerit, quod non mirari desinimus in illis maximè, qui vberrimè de eius vsu scripserunt; non est enim eadem ratio bene vtendi, ac causæ tam admirabilis virtutis explicandæ. Pleraque quidem scripta, & scitè quidem, à magnis vi-

ris, vt bene frigidæ potandæ regulam haberemus, & perinde meliores succederent euentus, nec est, cur vllam memoriam in posterum recti vsus desideremus: nunc igitur solùm putamus satis, magnam nos adepturos fore docendi gratiam, si huius veritatem attigerimus, cur in adurentibus febribus, naturale illud omnium facultatum robur, velocius quàm fuerit euersum, ab vna frigidæ potione erigatur. Inde autem initium sumamus. Nulla profectò res magis corpora humana penetrat, eaque accendit, mutat, & flectit, igne; vt perspicuum esse possit, quam ob causam contenta, continentia, & impetum facientia primo assaltu acerrimè exardeant, vt nullæ corporum partes integræ relinquantur. Equidem in hac asperrima corporis conditione constare potest, maximos dolores versari, & ob id præsertim, quòd repente omne naturale robur, quasi tenerum, & molle, tamquam tempestate quatiatur, & prius pœne frangatur, quàm possit sustentari. Itaque, & diuinus Pl. probe dixit. Sitis est corruptio, & dolor, & solutio: humidi autem facultas, quæ id, quod exiccatum est, rursus explet, voluptas est. Separatio, & dissolutio præter naturam æstus impetu facta, est dolor: rursus autem commoda quędam frigoris attributio ex naturæ temperamento, idest consentanea quædam refrigeratio, est voluptas: quando igitur corrumpitur animata species ex infinito; & finito secundum naturam genita, illa quidem corruptio dolor existit; cum verò hæc ad suam essentiam redeant, hic rursus omnium reditus voluptas: magnæ etiam mutationes magnos dolores, & voluptates nobis afferunt, mediocres autem, & exiguæ prorsum nullum horum: nōne quoque, quę inter dolores, & voluptates sunt expeditissimę, & maximæ, & potentissimæ, eæ ipsæ sunt, quę circa corpus

ver-

versantur omninò? harum quidem omnino illæ maximè excellunt, quarum etiam maximæ excellunt cupiditates, & fugæ: atqui ij, qui ardentibus febribus tenentur, potius sitiunt, & ardent, & quæcunque per corpus pati solent; maiori quippe penuria premuntur; ac perinde, dum replentur, maiores percipiunt voluptates. Paullo longiùs exordium, demonstrandi causa, petimus; his enim principijs cognitis, multò facilius reliqua patefient, & intelligentur, & non tamquam coniecturis, sed quasi manibus tenebuntur, aceruatim autem cætera dicentur. Quemadmodum igitur dolor est omnium insolentissimus, & non ferendus, qui exultanti, ac immoderato furore naturæ bona omnia, nimirũ, contenta, continentia, impetum facientia, quęcunq; inuadit, dissipat, ac diuellit: ita voluptas ea, quę omniũ pręstantissima gignitur, corpus omne iucunditate suprema perfundit, & maxima suauitatis commotione mouet: ille quidem cõtinuatam corporis structuram segregat, & separat; ob idq; solida diuelluntur, ac spiritus exhauriũtur; quæ omnia quò repente acerbiusq́ue, ac copiosius fiunt, eò ocius etiam, & miseriùs omnes facultates concidunt: contraria ratione iucundissima titillatione vehemens voluptas corpus coarctat, & coangustat, sic efficit, ne eius compages dilatetur, & perinde, ne solida fatigentur, nec spiritus euolent. Porro in egregio naturæ statu virtutes præclarè extolluntur, vbi autem ad firmissimum natura annititur adminiculum, veluti amicissimo munita præsidio, robusta est ad contemnendam potentiam omnium dolorum: sunt autem clariora, vel plane perspicua, nec dubitanda ea, quæ nos docent, cur in ardentibus febribus faces, quibus ardent contenta, continentia, impetum facientia, suauissime restinguantur; eę enim illę, maximæque cupiditates, quæ etiam

ingentes voluptates pariunt, in ardentibus febribus sensum magnopere commouent, vt in humoris, frigidique inopia tantam humiditatem, frigiditatemque appetat, quanta sibi videtur egere: quæ duo cum à frigidæ potione suauissimè magna suppeditentur largitate, feliciq; euentu, dũ sitientes copiosè potant, celerrima incursione frigidæ, ingeminantur voluptates; quò fit, vt solida quodammodo inexplebiliter frigidum, ac humidum rapientia velocissimè ad suam essẽtiam redeant: ita spiritus primùm gignuntur, quàm aptissimos ad permeandum: deinde, vt suos motus habeant, conatusque, & sic consentaneas maximè actiones vitæ adhibeant, contenta, humores scilicet, qui flagrant, eximia quasi intelligentia, vt protinus ab expultrice vi protrudãtur, hac enim vtitur natura ad propellenda, quæ contra se summa ui, impetuque contendunt, cuius etiam vtilitatis causa illam procreauit; quin hac duce admirabiliter ipsa plerumque cõsequitur, vt paruis momẽtis multa, & maxima, aut effingere, aut mutare, aut detrahere incredibili vi queat: quod ne addubitare possimus, maximo sunt argumento, tum effluentes sudores, tum copiosæ deiectiones, tum abundantes vomitus eorum humorum, à quibus paullo ante febriũ ardentium initia ducebantur. Inest enim in eadem frigidæ potione incredibilis quædã Voluptas; ex qua una, penetratis vndique omnibus solidorum rimis, amplitudines quædam bonorum excitantur perfectę ad restitutionẽ virtutum omnium; ita omnia solida regentur, veluti numine naturæ, ex quo consequitur communis totius corporis vtilitas; natura enim in operibus suis omni ex parte tam sibi respondet, vt in tanta rerum consentienti, conspirantique continuata cognatione poßit vno tempore, quæ continentur in ventre, per os effundere; quę verò in musculis

per

per habitũ, per halitus, ac per sudores difflare; quę in venis per deiectiones euacuare: nimirum, omnibus inter se concinentibus naturę facultatibus: hoc ipsum Hip. innuit, dicẽs, in corporibus nostris vnam conspirationem, confluxionemque esse, ac omnia inter se mutuò affici.

De Salnitri potentia. Cap. XXX.

QVæ de natura potionis frigidæ diximus breuiùs, quã si hac de vna disputaremus, longius tamen, quàm instituta ratio postulat, persuadent, vt in hoc curriculo multiplicium, variorumque sermonum salnitri mirificam vim refrigerandi inuestigemus: curiosam quidem rem, atque à multis exagitatam, splendidissimis ingenijs & valde controuersam. Cum enim magni sane viri quærerent, quid nam scilicet, cur ita res se haberet, varias afferebant causas. Vnam, quòd intelligerent alij, quos vsus, ac natura docuisset, nonnumquã in æstu se sentire, leuibus ætheris percussionibus euentum refrigerandi procedere. Ita non absque ratione; aquæ, cui iniectum esset salnitrum, leuiter ipsa si moueretur, id, quod aliquando vidissent in æstu, ex leuibus motionibus posse quoque accidere, siquidem aquæ frigidum aerem successiua renouatione cõmisceri putant. Alteri censent, quòd aquæ, vt ipsa algeat, accesserit salnitri permistio, ex qua tributam cernimus ei esse crassitudinem, propter quam potuerit inusitato obrigere frigore; namque simplicem etiam aquam in glaciem fingi, dũ crassescit, & tum rigentem maximè sentimus, quasi aqua propter pleniorem naturam augescentem acquireret algorem. Sunt quoque qui certiora, nec dubitanda indicia insueti frigoris aquæ ex salnitri confusione cogitant: nimirum, putãt

ob

ob antiparistasim fieri: quam quidem nos commode latinè vertimus, circumobsistentiam, aut reciprocationem, aut compressionem vndique circumfusam: nam, si latine locuti fuerimus, in maiori luce ponemus, quin pluribus nos nominibus hanc rem declarare volumus, ut quàm maximè ex ignoratione ipsa verborum, aliquando magnam oriri oscuritatem, sciamus, prætereà, vt etiam quid sibi constent, qui de antiparistasi docent, pateat. Magni denique iudicij inuentor quartam adducit causam, de qua præclarè, & multa ab eo præcipiuntur. Sumit primum totius aquæ salnitro admistæ motum, conuersionemque algendi causam esse efficientem, deinde, studio incitato, inuestigando veritatem, quod suis principijs sit consequẽs, annititur ostendere: inde autem est preclari uiri indagatio orta: quòd, cum gelidissima omnium esset aqua, nisi vim quamdam caloris patiatur, sit sane sua natura contenta, neque vmquam propriam exueret, aut mutaret; est enim hæc cognoscenti animo, ac tractanti cognitio patefacta: quòd cum aeris, atque aquæ quasi nexum videret, id intuens, à circumfuso aere aquæ frigiditatem arbitratur frangi; quamobrem hoc ille sibi remedium excogitat ad tollendam æstuantis aeris caliditatem, atque ad retinendam aquæ frigiditatem: vt ex medio aquæ loco, qui est idem infimus in rotundo, & in quem omnes eius partes delatæ grauitate nituntur, rursus leui primò, mox rapido motu eædem agitentur, atque ita iugi vicissitudine, atque reuolutione ferantur illæ quidem sublimes ad aerem continuatum, & sibi iunctum, quò sua frigiditate illius calorem restinguant; quòd si res sic se habet, aqua quidem omni caloris contactu priuata gelidissima profecto permanet. Cum verò dictæ opiniones sint obscuritati inuolutæ, & ob id minus viris preclaris probatæ, non defecerunt,

runt, qui arbitrarentur, aquam, quæ omnium elementorum est maximè frigida, minime esse expertem caloris; sed cum omni illius admistione liberata pura, & integra esse cœpisset, tum esse secundum suam naturam summè frigidam, atque in hoc statu cum steterit, ipsam cùm vina, tùm reliqua, quæ in ea immergerentur, quasi conglaciare frigoribus; quin eò algeat, vt immissæ manus stupescant: id verò virium ei inferre contendunt salnitri naturam, namque aquę cũ salnitrum permiscetur, vapores calidi, quibus tepescit, dissoluuntur, atque illuc omnes, vnde orti sunt, abeunt: quamquam nec, cum adsunt, nec, cum discedunt, apparent: quemadmodum verò ipsi illi aquæ vinculis plane se relaxauerint, ita docent. Aquę conuersiones, & celeres motiones in initia recurrentes tenuitatem, quasi quamdam maturitatem, aquę comparare inquiunt, vt se ad illos tepentes vapores aperiat, quò expeditius ad circumfusum aerem euolent: iam vero etiam, cum perpetuò rotundo ambitu agitetur salnitrum, efficitur, vt huius tenuissima caliditas tamquam è sinu naturæ prorumpat, ac inclusos vapores, qui aquæ continentur, veluti quodam conflictu, atque contritu eliciat, ac in æthera sublimes diffundat, quam similitudinem cernere nos posse affirmant in ijs aquis, quæ in fictilibus efferuescunt, subiectis ignibus, in quo feruore plurimùm vaporum effertur: quare, cum salnitri calor sit similis caloris aquarum efferuescẽtium, quę sunt in fictilibus; ipsum quoque simile potens esse posse: Itaque absurdum esse non videtur, aquam à spiritu calido ita liberatã iri, & perinde suam naturalem summam consequi frigiditatem. Sed vlla harum multi, & docti quidem viri se dicunt recordatione non requiescere opinionum, meliusque sane afferri aliquid auent. Nam contra primam intentãt,

quòd

quòd nulli leues motus aquę, vel sensibilem frigidam qualitatem relinquere posse videntur: siquidem aer, qui natura est calidus, ex molli commotione; nisi vicissim aere contiguo pulso, protinus succedente alio, corporibus nostris circumfundatur; frigoris, & eum quidem exiguum sensum refert: imago enim illa frigoris cuiusdam mitis oritur ex calida etheris temperatione, sub qua corpora cuncta ęstuant. Quam quidem similitudinem cernere possumus in ijs aquis, quæ efferuent, namque si his ea, quæ tepenti calore recalescunt, comparentur, videntur illæ sane, tamquam frigidæ essent, algidam vim continere; quamuis verè, & ipsę calidum quemdam vaporem expirent. Ita aer, tametsi cùm sua natura, tùm externa agitatione vim caloris insitam contineat etiam arctius, nihilominus in flagranti ęstatis ardore nostris corporibus, feruidis effectis, frigidus apparet; vt intelligi facile potest, cur talis sentiatur, & expers caloris. Altera opinio rationibus his eliditur. Quòd non vno salnitro calidiori, sicciorique: sed quouis misto frigido, & humido aqua cōfusa, algida magis efficeretur, si crassitudo tantam pareret frigiditatem. An ne hoc quidem intelligimus, omnia frigidiora, terrenaque corpora futura aptiora, ad efficiendum, vt magis, magisque aqua algeret? nisi fortè frigidiora, & humidiora corpora eā vim, quæ natura illis inesse deberet, non haberent, qua à salnitro verè calido, & acriter sicco in tantis multarum rerum, atque tantarum ordinibus contra naturam operationem planè confici posse contrariam diceremus: id autem quid potius dixerim, quàm aliquam inesse salnitro intelligentiam arbitrariam, quę eius naturę præsit, ac imperet, & cui pareatur. Atqui nos immensæ vetustati credamus: nihil enim vmquam mentita est; & tradidit, quod etiam credidit: nimirum; effectum, qui penitus

nitus

nitus à natura prodeunt, esse sempiternum; reliquorum verò, qui casu quodam oriuntur, nullum adesse ordinem: ex quo intelligi debet, illa quidem omni constantia vi naturæ rato tempore effici, quæ principium agendi in se continent, sic etiam significationem effectuum consequentium quærimus. Ob id ipsum salnitrum caliditatem potius, & siccitatem, quorum principia in se continet, aquę inducere potest, quàm frigiditatem, & humiditatem, quorum principijs caret, si auctori standum esset: gelidam autem vim, an per accidens; quoniam per se negant, procreet, postea disputabimus. Quàm verò pro nihilo tertiam opinionem putent, ex his constabit. Placet physicis: anhelitus terræ, cum fluere cæperint, atque ad mediam ętheris regionem elati se in frigidiorem naturam induerint, tũ fulgura, tonitrua, rorem, grandinem, idq; genus gigni; hæc verò omnia per antiparistasim cõcrescere. Sed negabunt omnes, quòd salnitrum ob eam ipsam causam, propter quam mediæ ætheris regioni contingere arbitrantur, aquam algere cogat: vt enim illam frigidissimam effici putatur, propterea quòd ab ima, & suprema aeris circundatur, atq; arctissimè in se constringatur, quò necunde ad eam vllæ vires Solis pertingere possint, quò fit, vt ipsa perẽni rigeat frigore: ita huic nulla natura circũfunditur, quæ compressione vlla vehementi circumfusa eã in se arctius constringat: quin si vlla ętheris reciprocatio aquam, & salnitrum præssius contineret, calor ipsius salnitri, nisi à multo humore restingueretur: quòd tamen constanter negant: vehementer excitatus acriùs recalesceret, ne dum aquam quouis modo refrigeraret. Quarta opinio non facilè se se tutatur: sic enim premitur. An hoc physici quidem intelligere potuerunt, hanc continuam conuersionem aquæ ex ipsius medio tamquam ex gelidissimo fon-

te ad arcendum calorẽ aeris nihil conducere posse? nihil enim potest esse magis incredibile, quàm quod affirmari solet: nimirum, aquam salnitro acriter calido, & sicco permistam frigidiorem esse dici verè posse: nam posse fieri, & sit gelidior aqua simplex absque permistione alienæ calidioris naturæ; nempe salnitri: quin dum in orbem cum aqua circumferretur, illius vi frigida, & humida, huius insita calida, & sicca magna offensione imminui possit; nec verè dicitur, quòd contraria iuncta in se mutuò non agant: nec sane multùm interest, vtrum id neget, an contraria ipsa agendi potentia priuet. Huius igitur opinionis inconstantia confutata ab experientia, à ratione, non desiderat sermonem longiorem: quin etiam, nec dubium, quòd aqua simplex, si mobilitate sola celerrima algeret, maiorem vim quamdam haberet, cum se conuoluens in sublime tollitur ad aerem refrigerandum; quorum neutrum illi accidit. Sed ea quoque, quæ contra quintam opinionem præstantissimorum philosophorum iudiciũ, & testimonium tulerũt, vt fecimus, reliquum est, vt describamus. Funditus .n. tollere, nedum labefactare eam putant. Etenim ipsi sic disputant. Eorum, quæ in vnoquoque genere collocantur, alia actu, alia potestate existunt: Actus eius, quod est potestate, vt est tale, motus, nimirum, est: veluti alterabilis quidem, vt alterabile est, alteratio: potestatẽ autem nullam corporibus à se conditis frustra vnquam attribuit natura; siquidem ista reciprocantur: vt si potentia sit, actus sit, & si actus sit, sit potentia; de quibus tamen nollemus, si, impedita nonnumquam natura, potestates non consequantur actus, huic naturę constanti ordini aliquid præuertendum putemus: nullis enim in rebus verè dici potest, quòd cum causæ, aut potestates effectibus, aut actibus antegressæ fuerint, nõ esse è naturę præscripto, quin effe-

effectus, aut actus eueniant, quorum causæ, aut potestates antegressæ fuerint: quid enim interest; actu potestatis sublato; inter efficientia, & non efficientia, & inter res potestatibus prȩditas, & res, quæ illis sunt priuatæ? neque enim sunt illi audiendi, qui potestatem duram, & quasi ferream, & (vt ita dicamus) impotentem esse affirmant.

Quamobrem salnitri potestas, (quod tamen est ei quidem omnibus corporibus naturalibus commune) semper actu diffunditur, dum libertas agendi potestati eluceat, ad quam se salnitrum applicet, & adiungat; igitur cum id contingit, tum actus exoriatur necesse est: siquidem, quid est tam absurdum, quàm delectari naturam tam multis potestatibus, vt frigida, vt calida, vt sicca, vt humida, actibus autem, qui ex illis mox nascentur, non multò quoque magis delectari? nihil est enim in rerum natura optabilius reciprocatione, quasi remuneratione beneuolentiæ potestatum cum actibus, nihil vicissitudine actuum cum potestatibus iucundius, vel ad sempiternitatem etiam ipsam aptius. Quid; Illud etiam addamus, quòd ex eadem natura recte addi potest, nihil est, quòd ad agendum magis alliciat, quàm libera potestas: quamobrem hoc quidem constat, (vt opinamur) salnitrum ex potestatis sinu à rapida, longinquaq; aquȩ conuersione ad actum eductum, nedum accidenti vllo ei tribuat vt algeat, sed etiam recalescendi vim, modò sua forma ex tanta recurrentium ad initia conuersionum iactatione potuerit permanere; quemadmodum ipsi etiam permanere testantur; quin tam audacter id ipsum confirmant, vt nullam suam qualitatem aquæ impertire doceant, quæ quidem omnia rationi consentaneum est esse falsa, & nos ostendere nitemur, vt veram rationem huius admirabilis effectus è gremio obscuritatis eripiamus: hoc tamen acutè illi

excogitant: cur verò se inducant in eas captiones, quas nūquam explicent? Ita enim, cum progrediuntur, concludere solent. Salnitrum eatenus ex potestate in actum effertur, quatenus tepentes vapores aquę implicatos, ex ea in sublime ad ęthera ferri cogat, nec verò vltra hilum agit. At multò est probabilius: ex naturalibus causis liberis prodire posse, & debere eos actus, qui potuerint: atqui iam communi philosophorum consensu traditum: Aquam suscipere virtutes earum rerum terrenarum, quibus cum habet commercium: cuius argumentò est, quòd qui res coloratas, aut sapidas eluunt, efficiunt, ut eosdem plane colores, saporesve, & qualitates ipsa imbibat. Equidem comperimus corpora solida, quæ in aqua elixantur, qualitates, quæ sibi antea inerant in ea deponere, ita tandem ἄποιον, quod vocant, & aquosum euadat, ut ne quidquā salsedinis, aut amaritudinis, aut acrimoniæ, aut adstrictionis habeant. Clariùs autem huiusce rei veritatem intelligimus, si quando aliquid elixemus, in aliam aquam transfusum rursus elixareuimus: inueniemus namque id, quod decoquitur, propriam amisisse qualitatem, aquam autem eam in se recepisse. O præclaram securitatem experientię, quę re ipsa nullo loco repudiāda est, quin omnem cognitionem ex mundo tollere videntur, qui eam tollunt. Est quidem consentaneum aquam quascunque qualitates, ne simus solliciti, suscipere, ac susceptas diu retinere, quamobrem in eam quoque cadat actio formæ salnitri, est necesse. Itaque videamus, quam vim putemus in aqua permanere, & quam extirpatam arbitremur. Hoc autem suo loco erit peruidendum. Nunc omneis saporum species cum Gal. tangamus, quas profectò aquę, cui ipsæ permiscerentur, communicari cognoscemus, siuè cerealibus, siue stirpibus, siue seminibus, siue cæteris corporibus

soli-

solidis insederint. Sic lupinorum qualitatem amaram demitti in aquam, et omnia alia amara eam amaram efficere facilè possumus experiri. Pariter, quæ acria sunt, vt allium, & reliqua, aquam, in qua elixa fuerint, manifestè acrem reddunt. Quin etiam mala acerba, & pira syluestria, quantò magis coquas, tantò ipsa dulciora efficias; ipsum verò decoctum efficitur acerbum: quòd, si ex prima aqua solida corpora in secundam transferas, & post illam rursus in tertiam, aut etiam quartam, comperies ea prorsus priorem saporem in aquam deposuiße, adeo, vt gustantibus aquea, insipidaque appareāt, omne igitur, quod aquę permiscetur, id per aquam omnem trameat propter inclusam in ea potentiam, ex quo intelligi debet: salnitri virtutem non poße otiosam, integra potentia, viuere, nedum interire: namq; nemini quidem philosophorum vmquam persuaderi potuit, formarum vim, salua potestate, posse occidere, vel etiam otiosam degere: magno igitur id est argumento, formam salnitri, quia principium etiam in se motus habeat è sinu potentiæ actum suum exprómere posse, neque se ipsa sit relictura, nisi eius natura externa quadam vi coerceatur, vel etiam, quasi morte dissoluatur; quod quidem illi, quadam similitudine, dum ex impetu conuersionum recurrentium liquatur, cumque semper ad motionem aquæ reuoluatur, non est forte alienum contingere. Nobismet ipsis, quid sit de salnitri algida vi iudicandum, verentibusque, ne temere, uel falsis opinionibus, vel nō satis cognitis assentiremur; quia probabilia omnia, quæ multa acutè, & copiose à magnis uiris pro unaquaq; opinione disputata sunt; faciendū visum est, vt diligenter ēt, atque ēt opinionem cū opinione compararemus; sic post rerum, sententiarumq; cōpre-

prehensionem accidit; quod vellemus, vt cœpissemus magnū fructum; istæ enim opiniones non modò delectationem nobis, sed etiam, speramus, veritatem attulerunt, nam alienis primùm disciplinis recreati, nos ad hæc studia reuocauimus, quæ, cum studiosè tractare decreuissemus, tractatio opinionum salutaris fuit, admonuitque, vt à reliquis sumeremus lumen ad nos docendos, eosque ad remunerandos, si non pari, at grato munere; sed expectāda sunt ea, quæ possumus: non mehercule repromittere audemus, ut hac de re alijs exactius scribamus, sed, vtcumque intelligemus, vtinam verò propius, faciemus satis. Scimus quidem hinc initiò tractum esse sermonem. Aquæ vim algendi, quanta sit eius, salnitrum afferre putari: hoc verò sine vlla dubitatione omnes confirmauerunt, siue illa arte pariatur aliqua, siue exercitatione quadam, siue natura. Rem vnā visam esse omnibus difficillimam, contemplationem igitur mentis ad reconditam, abstrusamque causam liceat traducere. Agamus autem pingui Minerua, vt aiunt. Virtutem quasi conglaciandi aquam in salnitro quidem ponere oportet: sed hanc ipsam virtutem conuenit metiri congenita eius natura, non aductitia, propter id, quod a philosophis dilucide docetur. Nimirum singularum rerum singulares proprietates esse. Quid autem impediet actionem earum, nisi externa quædam vis fortuito obstiterit? quia continuò hoc quidem apparet: corpora omnia ad agendum esse facta, actionum verò genera plura, atque inter has obscurantur etiam minores a maioribus, & actiones semper expromi virtutibus congruentes. Quoniam autem salnitri natura est calida, & sicca tertij ordinis, necesse est quoque finem eius hunc esse, vt sua natura expleatur: quamobrem tamdiu ipsa viget, quamdiu elanguet,

guet,

guet, & dissoluitur: manent enim vires formis, modò non solùm composita corpora vigentia consistant, sed etiam ipsarum permaneant vestigia, quamuis imbecilles; his autem formis euanescentibus, vires etiam abeunt, cum verò formas penitus interire contigerit, materiæ, quæ illis iunctæ sustentabantur, nouarum formarum aduenientium lateribus, & lacertis nobilitantur. Hoc salnitro euenire putandũ est, & proinde, quod suæ nouæ formæ, seu cõgregationi insitum est, & illi vti decet, & quicquid agit, agere pro viribus: hæc autem non modò languida, atque iners non sit, uerùm etiam sit operosa, & semper agens aliquid, & moliens ad extremum, talis scilicet, qualis natura in noua coalitione constituta: nũ verò salnitro noua forma prouenire, & prior natura deleri potuit, aut rerum ipsum constituentium adhæsio potius dissolui videatur ex alio, quàm ex aqua longinqua rapida conuersione? Non quidem fieri istuc potuit alijs viribus, quàm quæ frigiditate, ac velocitate, ac celeritate conuersionum: quòd si consideratè videre volumus, nullas quidem alias externas causas reperiemus, per quas siue prima forma labefactata sit, & noua inducta, siue dissoluta fuerit colligatio rerum, quæ salnitrum constituunt: quomodo autem quodcumque libeat fieri possit, vereri non ante sane desinemus, quàm salnitri essentiæ concretionem intellexerimus. Explicandæ igitur sunt causæ, quibus salnitrum, haud tam vetusta memoria inuentum, constat, & usus admirabilis, & natura. Sciendum igitur. Quòd, pecudum ubi omne genus degit, ibi etiam cœnosæ stercorum reliquię necesse est, ut cumulentur, illæ quidẽ haud sane multũ in sinum terrę descendunt, pręeunte crassioribus fęcibus vrina; Cum his succis terra quasi societatem coit, in quo admirandum est: congressu ne aliquo fortuito inter se, an

veluti iam inde ab ortu naturæ ipsi congregati sunt, quasi semper essent, uti cæteræ species fossilium, & arborum, omniumque rerum, quæ quidem omnes vim seminis habent in se, quod perpetuitatis causa machinata natura est: at si non profecto salnitri speciẽ tenemus, sed casu quodã hæc excremẽta cõmiscentur: non est cur dubitemus, quin sua essentia sit potius naturarũ congressio: tanta verò, aut maiorũ, aut minorum virium differentia existit, pecudum quanta est varietas, quanta pastus, qui cuique generi aptus est, varietas; tantam autem ingenerauit essentiæ dissimilitudinem tã breue temporis curriculum, ut haud alienũ sit, permistionem imperfectam admodum facillime dissolui posse: quin propter euidentissimam saporum multitudinem videntur potius quodammodo in ipsa coagmentatæ variæ, & confusæ naturæ, quàm vna; quæ multos propter materię fœcunditatem gignere, & fingere potuit sapores; in quibus animaduertendis exercitatissimi, qui diligentes fuerint, ueri existent interpretes eorum. Primùm quidem acris percipitur, & is, quidem insigniter mordens: huic finitimus, elucet clarè salsus: salso proxime apparet, subobscure tamen, amarus: hos autem admirabili quodam nexu potens comitatur adstringens: postremò cunctos allambit vberrima aerea humiditas, & ea quidem ad extremum tenuissima. Hanc quoque naturarum tantam uarietatem ex effectibus penitus cernere licet. Siquidem, si salnitro ignem adiungere voluerimus, ex eo protinus ardentem, & multam illã quidẽ procreari fauillam conspicimus; quòd, si queramus, unde hãc tã prõptã habeat pręter cuncta mista potẽtiã, apparet non aliunde, quàm ab igne, & ab aere sumserit: nam eius est corpus ita constitutum, vt ob raritatem habeat meatus extemplo capaces ignis, ob id etiam per longum formatos, ob humidum

dum verò aereum facillime flammabilem immensa flammæ corruscat amplitudo; neque enim nitratus puluis, absq; salnitro, præter fumũ atrum, fumo intermicantia fulgura, tonitrua, cœlo sereno, globos, catenas, & alia obturamenta, fulminum instar, flammis eluctantibus, horrendo fragore oblongis ex tubis ęre fusili figuratis, æquabiliter teretibus, in extremam perniciem mortalium contorqueret: ex hac namque tenuissima natura appliciti igniculi immensa capiunt incrementa, quò fit, vt sublimiora elementa, & leuissima, extra sua loca summa vi coercita, disruptis quasi vinclis, vt sibi debitas sedes rapiant, obiecta impedimenta inaudito impetu, admirandis editis effectibus, protrudunt, quos quidem terræ motibus quis haud inscite adsimilet.

Quemadmodum autem, & acrem igneam, & tenuissimam naturam aeream ex ijs, quæ oculis apparent, præter ea, quæ à gustatu iudicantur, salnitro inesse constant: ita diutius, si ipsum in ore cõtineatur, amarus sapor, & ille quidem debilis, linguam intrare videtur, ob exiguitatem tamen haud post longo tempore tabescit ipse, & euanescit: sed adstringens validissime profecto linguam adeo densat, & constringit, vt eam exasperet: nec verò tam cito ea leniatur: siquidem tanta vi ab excellenti tenuitate in profundum linguæ vehitur. Nunc ea, quorum causa hęc examinantur, sunt explicanda: nimirum, in salnitro hanc potius esse multiplicium naturarum angusti temporis congregationem, & proinde facillime segregari posse: quapropter non mirum, si ad rapidas recurrentes conuersiones aquæ vim promte consequatur, vt omnes naturę, vnde venerunt, ocius abeánt: igneæ igitur, & aereæ in proprias sedes, consentaneum est, vt subuolent, nec secus grauiores, frigidioresq; aquæ permixtę permaneãt; itaque par est, vt aqua ipsa calido-

dioribus naturis liberata, viribus frigidiorũ aucta, algidior euadat: Prætereaputãdũ est, quòd ob adstrictionẽ terrenarum naturarum in se coarctata, & coangustata, vireis acquisitas pleniùs immersis corporibus impertiat, & maximè, quia ob leuem salsedinem, & adstrictionem, cùm arctiùs, tùm intimiùs penetrat, quod in admistione aliorum frigidiorum corporum cum aqua non contingit propter eximiam solam salnitri aptitudinem; quòd, si alia, quæ eiusmodi essent ac salnitrum, reperirentur, ipsa etiam similes miros effectus præstarent. Hæc habuimus, quæ de re tam obscura diceremus, vt cæteros potius ad indagationem verioris causæ excitaremus; qui sin minus ea, quæ à nobis sunt disputata, probarent, & meliora afferent, cum fieri possit, vt errauerimus, ea amplectemur.

De Vitellis ouorum, & dicto Ristoro. Cap. XXXI.

CVm nullus cibus vmquam, vel languentibus, vel multitudini sit carior, aut vsu frequentior ouis, constituerintque plurimi, vt omnes simul in acutis etiam morbis, qui plerumq; biliosiores sunt, eorũ vitellis vterentur, nos quidem à fide iustitiaque quasi discessisse videbimur, qui optimos, & doctissimos viros, quorum doctrinam admiramur, in inuidiam tamquam falsæ opinionis adduxerimus; idque, quod de multorum sententia compositum fuerit, soli edixerimus in naturis calidioribus, nẽpe in febribus acutis ab illis esse cauendum. Conscripserunt etiam communiter permulti, quasi edictum, in ijsdem acutis morbis, vbi vires vacillare viderẽtur, inexcogitata priscis medicis ratione, quodam alimenti genus offerre, quod

quod ipsi, & nos cum ipsis, ne nouitate verbi, & dissensione, fiat controuersia, ristorũ appellabimus. Cùm autem multa sunt, quæ conturbant homines in deliberatione nonnumquam, tum maximè in quo violari magnorum virorum opiniones videntur, & ita magnum, de quo disceptatur, quod ex eius defectu patitur, permagnum videtur; in hoc nitemur nos, ne iudicemur viris de arte bene meritis præripere quamdam gratiam; ita igitur gradiemur, vt vna regula in rebus medicis sit statuenda; quam cupimus omnibus esse notissimam, nimirum. . Aut illud, quod vtile videtur rationi consentaneum ne sit, aut si rationi sit consentaneum ne videtur esse vtile. Quid igitur, possumus ne videre ristorum, & vitellos in acutis febribus vtilia, aut rationi consentanea? Explicemus igitur, atque excutiamus intelligentiam nostram, & videamus, quæ sit vitellorum, ristori species, & notio cibi boni. At enim, cum permagna esse arbitrentur præmia vitæ, est causa peccandi: vires autẽ in acutis, si à spe vitæ tã longe abesse videantur, vt iam, ne iacerent, timetur, tum nulla alia alimenta, vim morborum ferre, ac vires sustentare putant, idcirco ad vitellos, ad ristorum confugiunt: vtraque enim pleniùs nutrire, ac faciliùs concoqui verè in sanis cernuntnr, nec verò id addubitari potest, quin vitelli ouorum præsertim, eiusmodi fuerint propter quamdam similitudinem, quam cũ temperata natura obtinent, quamquam illi existant calidiores: at ristorũ maxime natura temperata est calidius, quod etiam scimus ex tenuioribus succis carnium nos elicere; lento quidem igne in duplici vase: quinimo aliud alio efficitur calidius pro animalium naturis, ętatibus, pastuque, ex quibus elicitur. Quòd si hęc à temperata natura abscedunt, & ad malam, similemque temperationem vergunt, quid, interest,

terest, vtrum ex bono se conuertant hæc alimenta in prauum, an in bonitatis figura potestatē gerant nocendi nihiloquidem minus? Equidem ristorum, & vitelli temperatam naturam ab optimo statu, continuato eorum vsu, detorquere possunt, dum ad calidam propensiorem reddunt. Jam enim pridē à nobis ostensum est, ea sola alimenta naturas, quales erant, conseruare, quæ inter se substantiarum, & virium similitudine sunt coniuncta: cætera verò omnia sane prorsus mutare; siquidem naturis, ob dissimilitudinem virium, & substantiarum, afferunt causam, quæ vel latentem, vel manifestam nouitatem efficiat: nullius autem causæ cultu vlla nouitas, quàm diuturna alimentorum consuetudine promptiùs seminari potest; scite verò M. Hipp. prodidit naturam cum consuetudine conspirare, quòd, si naturam optimam, & prępotentem, & magis repugnantem flectunt, quid prohibet? quòd naturam etiam quasi adminiculātem, quia quadam qualitatum amicitia sibi respondent; magis, magisque ab ipsa optima detorqueant, in easque impellant difficultates, quæ necessitatem maiorem casuum confirment: vnde denique frustra
6.epid.6. *pręsidia petantur: quòd, si medicatio est contrarium agere, & non consentire affectui, quæ noua ratio persuadere poterit cōtra ipsammet rationē, in acutis febribus, ut vitellos ouorum, & ristorum exhibeamus; quandoquidem malas temperationes cibis contrarijs corrigendas esse, & restituēdas, similibus verò similes cōseruandas, constantibus argumētis dēmōstratū est: quibus addamus, quod verè addi pōt. Trāsmutationē oēm inter se facillimè fieri earum rerū, quarum substantias vicissim se se mutua tamquā beneuolentia quadam diligere videmus; eius aūt est istarum quęque in alteram conuersio, & mutatio, quæ vincitur alterius viribus:*

ribus: namque substantiarum sua cuique permanet stabilis quædam naturæ propriæ possessio, donec imperio, ac potestate alterius victa, vt pareat, necesse est. Sic acutarum febrium vires præpotentes vitellos, & ristorum, quæ duo aliàs commodis essent alimentis, in suam naturam immutant, quò fit, vt eas non solùm conseruent, sed etiam augeant, quamobrem, illa etsi possint esse iucunda, non tamē vtilia: At enim ipsæ febres horum viribus auctæ efferuntur fastigio, & contumacia; hinc, sicus ac auctores sperant, spei amplificandarum virtutum fractio. Constituendi igitur sunt, qui sint ex vsu, fines, & quasi termini deligendi: his autem finibus vtendum arbitramur, vt, ad emendandos mores frigidorum morborū, tùm vitellos, tū ristorum, si opus fuerit, adhibeamus; vbi verò acutæ sint febres, nullus illis locus est. Hì euerò nos adduci patiemur, vt hæc ab Hipp. qui sapiens habitus est vnus ex omnibus, petenda fuissent L. de rat. vict. in acut: quo in loco præ ceteris medicum in cęlum tollit, qui in morbis acutis prudentiùs se gerit propter periculi magnitudinem: illa igitur potius precipienda fuerunt alimentorum genera, si ad vitam sustinendam, ac propagandā omnium aptissima essent, atqui quò grauissime peccasset, eò iustissimas nobis, tāquam ansas, ad reprehendendum reliquisset. At enim, si qua fortuna acciderit, vt minus robustæ ægrotantium uires adiuuandæ sint, vir diuinus nec mediocre auxilium ad eas sustentandas existimauit virtutem ptisanæ in acutis. Sed ab Hip. qui nobis sēper in ore erit, ad Gal. veniamus, aut ad reliquā gracā scholam: quāquā ex his alius alio non plus habet auctoritatis, tamen quid tam exile, quàm nostri omnes illis comparati? Nam quid memoremus alios, qui ex illa erudita Æsculapij copia non exierūt? in rebus enim multi, & auda-

ces;

ces, tamquam ad ſummam intelligentiam euecti, Hip. aſpernantur, quem certum eſt omnes adhuc ſcriptores, & eos etiam, qui nondum ediderunt, facilè ſuperaſſe. Sed tamen, ſi propter ęgrotantium mores declinandum eſt de via, in cibis quidem parandis, ac eligendis adhibere curam oportet, et diligentes eſſe: nec enim deſunt, quaſi certiſſima ſigna alimentorũ ex monumentis Hip. Pl. Ar. Gal. à nobis excerpta, & nota, quæ ad febres acutas eſſent idonea: debẽt autem frigidiſſima, & humidiſſima eſſe: eſt igitur prudentis medici ſuſtinere impetum morborum ijs cibis, quibus, aliqua parte periclitatis eorum viribus, illorum frangerę contumaciam poſſit. Vt autem ex vna parte propoſita hęc ſunt, quæ ad qualitates ciborum ipſorum maximè pertinent, ex altera tẽpora eorum non minus ſunt cõſiderãda, vt diutius permaneant, quò corpora longinquo tempore ſuſtententur: firmamentũ verò ſtabilitatis, conſtantiæque & durationis, quod quærimus, eſt ſoliditas quædam ciborum, præter qualitatum contrarietatem, quorum quidem neutrum ineſt vitellis, at minus in riſtoro multò: calidior profectò horum natura laxior, humidiorq́; ea leuitatis, breuitatis, & infirmitatis conuincunt: quòd, ſi qualitatum ſimilitudine febribus acutis fauẽt, nedum contrarijs, vt decet, ipſas oppugnent, ſi ẽt diuturnitatem alimenti tenuitate deſerunt, quì fit, vt tantopere diligantur? At enim cibum, qui vtraque re vtilem, conſtantem, ſtabilemque ſe in acutis præſtiterit, hunc ex maximè raro ciborum genere iudicare debemus vtiliſſimum, & pæne cæleſtem: nihil enim ſtabile eſt, quod fluxum, facileque, & expirabile: adhuc quod ad fidelitatẽ cibi pertinet; par eſt, eũ nõ debere eſſe naturę morborũ vlla ex parte conſentientem, ſed vel maximè, quàm poteſt, repugnantem. Non ſunt etiam prætereunda, quòd in hanc

ſen-

sententiam Hipp. reliquit scripta: ad laqueos enim respondent: & quamquam in hac controuersia magna luctatio sit, attamen verum est, quod ita connectitur. In febribus acutis fulciendæ sunt uires: uires autem multas illæ quidē ob causas labantur: at enim, quod ad propositum pertinet, seu malis qualitatibus ipsæ, seu inopia alimentorũ fatiscunt, cauēdũ igitur est, ne vllo horum modo detrimenta inferantur, aut faueamus illatis: siue causę detrimentorum erunt ciborum qualitates, siue eorum inconstantię: omnino omnium horum vitiorum, atque incommodorum vna cautio est, atque vna prouisio; & ob id faciendũ, prouidendũq; est omnibus, vt, si quam præstantiam virtutis consecuti sunt cibi, ea vtamur: verùm istud genus, quemadmodum omnia præclara, rarum: nec est quidquam difficiliùs, quàm reperire, quod sit omni ex parte in suo genere perfectum: nec verò nos latent magni senis dicta. Parum deterior potus, & cibus, suauior autem melioribus quidem, sed minus suauibus est præferendus: præterea maxima vis est cõsuetudinis, quoniam, si nulla res impediat, nemo est, qui non eo, quo cõsueuit, & delectetur, libentius vtatur, quã intractato, & insuaui: sed nec modò in cibis; uerùm in ijs etiam, quæ sunt minus necessaria, consuetudo, & suauitas valet; cum & solitudinibus, & auijs delectemur, quantumlibet sint homines natura sociabiles, si in illis diutius commorati sumus. Verùm enim verò alimenta potius morborum magnitudine, quàm suauitate sunt metienda, quòd, si velimus magnitudini suauitatem anteponere, videndum omnino est tamen, quid suauia, minus bona, possint detrimenti inferre: in quo scire oportet, non ob aliam causam vllam vitellos ouorum, ristorum acutis febribus bona esse non posse, nisi, quòd tanta est inter has, & illa similitudo, quanta a præpotenti

l.de sym. cau.c.3. *tenti calore promte in acrem succum conuertantur, siquidem nulla actiuarum qualitatum adeo breui, quod appropinquat, alterare videtur, ac calor; ita febres seruantur, quin ēt augentur: sæpe enim exiguis momentis incidunt in maximis morbis magnæ calamitates, vt discedendum sit a vita: & propterea magnus Hipp. præcipit.* 6.epid.ex tab. *Victus rationes quantum fieri potest esse cognoscendas: nam non nosce, multarum calamitatum causa est. Alio in loco inquit.* 2.epid. *Cibus, & potus experientia opus habent, an ad æqualitatem maneant. Vt, si vim aliquam præstanti consecuta sint, corporibus impertiant, communicentque: ita naturæ erunt præsidio, nō autē augebunt morborū opes, quo quidem multò profecto magis in acutis febribus, præcipitibusque eget. Fructus enim ciborum, omnisque eorum pręstantia, tum maximè capitur, cum in extremis laboribus confertur, quamobrem haudquaquam mediocre auxilium in acutis afferunt hęc. Possunt enim facilè (monet magnus senex) fieri perniciosa, quæ sunt parua, etiam si leuiter committantur peccata: id ipsum quoque docuit exemplis, & eius, qui ab initio morbi incalescens vberiùs esitauit, & filiæ Philonis intempestiue cœnata: At enim hæc duo acutis biliosis febribus praua, & incongrua sunt alimenta, quò fit, vt debilitentur, qui ijs u-* 2.aph.36 *tuntur. Cur verò talia sint, clarè sane apparet, namque qualitatibus inter se sociantur, seque fouent, & augent; vt enim dispares virtutes dispares pariunt naturas, & varia nedum, sed etiam contraria officia, sic similitudo, cum societ naturas, communia faciat studia, necesse est, vt talia uicissim mutuas augeant vires. Verùm, quæ sunt in iunctionis, mistionisque necessitudine superiores potestate, ad sese inferiores rapiunt, atque in suam naturam immutant; nec verò vmquam viribus inferiores se cum superioribus*

se

se exæquare poterunt. Ad durationem verò virtutis alimentorum magnus vir docet, inquiens. Debiliores cibi breuem vitam habent. Item eorum, quę vniuersim, & uelociter nutriunt, veloces quoque fiunt excretiones, siquidē, quemadmodum faciliùs, & celeriùs agglutinātur, & coalescunt, quæ humidiora sunt, & molliora, sic etiam faciliùs, & velociùs defluunt: ficciora verò, & duriora contra se habent. Addendum eòdem est, quæ præclariùs 1. *aphor. præcepit, nimirum, cauendos esse errores, qui committuntur in victu tenui, quæ quis prudenter præponderetur, cognosceret, quanti intersit delictis vel maximè leuissimis naturam vrgere, hęc etiam multò clariora fient legentibus l.* 1. *de decretorijs. c.* 11. *quo in loco in naturā peccari docet clystere, cataplasmate, inunctione, insperfione totius, & partis: quid? multò etiam leuiora narrat, ex quibus intelligi potest, haud spernendum errorem in hoc victu committi. Accedat ēt huic ratio omnis oportet eorū, quæ de alimentorum disquisitione disputauimus, ex quibus ea, quæ iamdudum tractamus, confirmantur, atque in ijs forte patebit perniciosum esse errorem eorum, qui existimant horum, vel etiam similium alimentorum patere in febribus acutis licentiam: virtutum enim similitudo adiutrix à natura data est, sed contraria ijs superandis in ptisana, & similibus; illorum verò virtus istis familiaris est, & comes. Vt enim solitaria non posset natura in febribus acutis ad sanitatem peruenire, sic virtuti alimentorum morbis repugnanti coniuncta, & sociata perueniret, quòd, si hæc inter societas congruens, vera, & fidelis est, eorum quoque habendus est ad summum vitæ hominum bonum tamquam optimus, tutissimusque comitatus.*

2. ep. 8. 2. aph. 18

de caus. symp. c. 3.

1. aph. 5. 6. 7. 8. 9.

Quocirca id (dicendum est enim sępius) cum optimum, maximumque sit, si ipsum volumus adipisci, huic societati opera danda est, sine qua, neque sanitatem consequi possumus; ea verò neglecta, qui se rectè egisse arbitrantur, tum se denique errasse sentient, cum eos grauior aliquis casus experiri coget.

De vsu chymiæ in Medicina. Cap. XXXII.

VNa est quidem chymia in rebus humanis, de cuius excellentia omnes vno ore consentiunt, quamquã à multis ipsa ars contemnatur, & vendicatio quędã, atque ostentatio esse dicatur: multi quidẽ chymiam despiciunt, & chymistas deridẽt: hos dicunt paruo contentos, tenui victu, tenuique cultu delectari. Alteri chymiam, cuius cupiditate inflammãtur, tanti faciũt, ut nihil uerius, nihil excellẽtius credant, & sine ea vitam esse nullã arbitrẽtur, serpit.n. nescimus quõ, per animos multorum, qui eius nec vllam ætatis degendæ rationem patiantur esse expertem. Ex memoria scriptorum habemus artem quidem esse vetustam, & Imperatorum alios sui cultores, alios persecutores, & varijs temporibus siluisse, aut floruisse, vel splendidissimorum etiam ingeniorum caterua comitatã, vel fere desertam: non verò de ortu, de incremento, de præstantia, de veritate nunc omnia nobis dicenda statuimus: erit profectò proprius locus, & congruum tempus: præsens est officium, vt eam, quò medicinæ adminiculatur, attingamus; laudandam sane, & venerandam censemus propter admirabilia inuenta, quæ in vita hominum intulisse non ignoramus. Initio igitur ita constituto, ad propositum.

Prę-

Praeclari viri multi chymiam in caelum extulerunt, vt naturae foetum faecundissimum, cùm permultorum inuentricẽ vitae humanae subsidiorum, tùm maximè auri potabilis, quòd ipsum alimentorum, & praesidiorum arbitrẽtur omnium praestantissimum, quae vel ad vitam tuendam, vel etiam ad propagandã faciãt. Nisi verò altiùs repetamus, uerum eius fructum in medicina cognitum non habebimus. Tota hęc in eo versatur ars, quoad medicinam attinet; vt spiritus subtilissimos ex metallicis, gemmis, plantis educat, quò uerò subtiliora, hoc puriora, quò puriora, hoc efficaciora remedia putantur, ita specimen suae excellentię praebet in vita tuenda. Est quidem varius, & multiplex vsus rerum, quas suppeditat chymia: multae etiam causae offensionum dantur, quas tùm vitare, tùm eleuare prudentis medici est. In primis verum est illud, quod a phylosophis dici solitum legimus. Naturam sane semper aliquid, tamquam adminiculum, desiderare, quod in amicissimo quoque inuenit, cętera nõ amica omnia fugit, atque odit; siquidẽ ex omnibus rebus, quas ipsa hominibus tribuit, nihil illi habent, quod cum dulcissimis alimentis possint comparare: dum tamen ipsorum naturae optime se habent; inter hęc enim duo consensus naturarum, in his requies plena oblectationis est: quoniam verò ita ratio comparata est uitę, naturaeque nostrae, quia ipsa fragilis, & caduca est, vt homines semper ab optima decidant, propterea studiose enitendum, quò ad illam, vel ad finitimam redeant; sed similibus iampridem constantissimis rationibus ostendimus eas seruari, dissimilibus, & cõtrarijs restitui: nã in illis est cõuenientia substantiarũ, in his verò dissimilitudo. Ex his iactum quasi gradum quemdam habemus ad cognoscendum, cur nulla inuenta chymica tamquam alimenta vitae huma-

Quocirca id (dicendum eſt enim ſępius) cum optimum, maximumque ſit, ſi ipſum volumus adipiſci, huic ſocietati opera danda eſt, ſine qua, neque ſanitatem conſequi poſſumus; ea verò neglecta, qui ſe rectè egiſſe arbitrantur, tum ſe deníque erraſſe ſentient, cum eos grauior aliquis caſus experiri coget.

De vſu chymiæ in Medicina. Cap. XXXII.

VNa eſt quidem chymia in rebus humanis, de cuius excellentia omnes vno ore conſentiunt, quamquã à multis ipſa ars contemnatur, & vendicatio quędã, atque oſtentatio eſſe dicatur: multi quidẽ chymiam deſpiciunt, & chymiſtas deridẽt: hos dicunt paruo contentos, tenui victu, tenuique cultu delectari. Alteri chymiam, cuius cupiditate inflammãtur, tanti faciũt, ut nihil uerius, nihil excellẽtius credant, & ſine ea vitam eſſe nullã arbitrẽtur, ſerpit. n. neſcimus quõ, per animos multorum, qui eius nec vllam ætatis degendæ rationem patiantur eſſe expertem. Ex memoria ſcriptorum habemus artem quidem eſſe vetuſtam, & Imperatorum alios ſui cultores, alios perſecutores, & varijs temporibus ſiluiſſe, aut floruiſſe, vel ſplendidiſſimorum etiam ingeniorum caterua comitatã, vel fere deſertam: non verò de ortu, de incremento, de præſtantia, de veritate nunc omnia nobis dicenda ſtatuimus: erit profectò proprius locus, & congruum tempus: præſens eſt officium, vt eam, quò medicinæ adminiculatur, attingamus; laudandam ſane, & venerandam cenſemus propter admirabilia inuenta, quæ in vita hominum intuliſſe non ignoramus. Initio igitur ita conſtituto, ad propoſitum.

Pre-

Præclari viri multi chymiam in cælum extulerunt, vt naturæ fœtum fœcundiſſimum, cùm permultorum inuentricẽ vitæ humanæ ſubſidiorum, tùm maximè auri potabilis, quòd ipſum alimentorum, & præſidiorum arbitrētur omnium præſtantiſſimum, quæ vel ad vitam tuendam, vel etiam ad propagandã faciãt. Niſi verò altiùs repetamus, uerum eius fructum in medicina cognitum non habebimus. Tota hęc in eo verſatur ars, quoad medicinam attinet; vt ſpiritus ſubtiliſſimos ex metallicis, gemmis, plantis educat, quò uerò ſubtiliora, hoc puriora, quò puriora, hoc efficaciora remedia putantur, ita ſpecimen ſuæ excellentię prabet in vita tuenda. Eſt quidem varius, & multiplex vſus rerum, quas ſuppeditat chymia: multæ etiam cauſæ offenſionum dantur, quas tùm vitare, tùm eleuare prudentis medici eſt. In primis verum eſt illud, quod a phyloſophis dici ſolitum legimus. Naturam ſane ſemper aliquid, tamquam adminiculum, deſiderare, quod in amiciſſimo quoque inuenit, cętera nõ amica omnia fugit, atque odit; ſiquidẽ ex omnibus rebus, quas ipſa hominibus tribuit, nihil illi habent, quod cum dulciſſimis alimentis poſſint comparare: dum tamen ipſorum naturæ optime ſe habent; inter hęc enim duo conſenſus naturarum, in his requies plena oblectationis eſt: quoniam verò ita ratio comparata eſt uitę, naturæque noſtræ, quia ipſa fragilis, & caduca eſt, vt homines ſemper ab optima decidant, propterea ſtudioſe enitendum, quò ad illam, vel ad finitimam redeant; ſed ſimilibus iampridem conſtantiſſimis rationibus oſtendimus eas ſeruari, diſſimilibus, & cõtrarijs reſtitui: nã in illis eſt cõuenientia ſubſtantiarũ, in his verò diſſimilitudo. Ex his iactum quaſi gradum quemdam habemus ad cognoſcendum, cur nulla inuenta chymica tamquam alimenta vitæ huma-

nę opem afferre queant. Existit autem hic magna quæstio, & perdifficilis: ne verò per omnia opera chymica vagemur, in vno auro potabili insistemus: cum illud corpora pæne extincta alere, & augere communiter putetur: virtus enim auri potabilis, nec vulgaribus solùm versatur ante oculos, sed etiam doctis viris est clara, & insignis. Si quidem plurimi vnquam animo, aut spe maiora expectant, qui inter præsidia huius vitę sibi non auri potabilis memoriam, atque imaginem proponendam putent: quòd, si ex eo nullum alēdi officium percipi posse forte indicabimus, quid ipsum non facere posse probabile est, ex reliquis operibus chymicis nos fore tracturos? Sed iam propius ordiamur explicare, quid de auro potabili sentiamus, quòd quidem si minus nostra probarentur, quæso nec desint alij probabiliora, tamquam veriora afferre: nobis autem per antiquorum opinionem ingredientibus quæso ne succenseant. Equidem multa quæruntur in auro, ficta ne sint, an vera, modò, & in vetusta, & recenti memoria veritas anquiritur. Sumemus ad hanc rem eas rationes, quæ à nemine docto, aut ignoratę sunt, aut relictæ: nam post ea, quæ de saporibus tradita sunt, addemus affectiones mistorũ: quibus omnibus forte nihil potest est certius, maximè si ad hæc adiungamus etiã, quæ de alimentorũ dignoscenda natura disputauimus. Positum in primis sit. Aurum gigni ex aspiratione vaporosa, ex qua, & reliqua metalla, quę in quoque genere, vt perueniunt ad extremũ, eò sunt perfectiora: quo cognito, dubitari non potest, quin illud, quod inter omnia metalla nulli subijcitur corruptioni, ipsum sit omnium excellentissimum: atenim aurum, neque igne consumitur, neque temporis æternitate rubiginem effundit, nulla denique vi suo decore spoliatur, aut

vio-

violatur, sed vnum, & idem permanet, nec verò ab eo vlla recrementa segregantur: quibus expositis, facilis est coniectura: ea maximè esse credenda, quæ sapientissimi viri Hipp. Plat. Arist. Gal. tradiderunt; nimirum: ex tantis naturę mistionibus, quę componunt eas, quas fusiles aquas uocat Pla. vnam ex tenuissimis, & æquabilissimis densissimā fieri, ex qua vniforme genus colore pellucido, & fuluo cognata, honorificētissima possessio, aurum ad lapides quasi efflorescens adhęsit, nec secus sensit Arist. dum ex aspiratione vaporosa in lapidibus potissimum inclusa metallica fusilia, ductilia, vt ferrum, aurum, ęs, & reliqua, effici docuit: nam propter lapidum siccitatem aspiratio euaporosa in vnum constringitur, cogitur, coalescit, & concrescit. Num verò dubitamus, quin natura specimen optimę mistionis metallicorum in generatione auri ediderit? Quod autem aliud verius argumentum aliunde capi licet, quàm quòd aurum nullis annorum tempestatibus, cæli conuersionibus corrumpi, & vanescere videmus? hæc ita fieri non possent, nisi vno perfectissimo, & continuato nexu contineretur: tantam vim auro indidit temperatio gignentium, mensuræque moderatio: quòd, si illi tanta naturæ colligatio sit ingenerata, illudne dubium? cur vlla vis externa, aut interna ipsum mutare nequeat, nam quicquid in periclitando, experiundoque auro est factitatum, nullę tamen offensiones obrepunt extrinsecus, nec omnino fluunt illę. Si igne exardeat, & collustretur, eo solutum, & liberum, quis non videt eamdem formam, statum, & pondus permanere? Ex quo intelligi par est, in eius procreatione, in multò arctissima mistione, & iūctione nequid positū, vt nihil habeat in se, quod vel propter redundantiam, uel

indi-

indigentiam reprehendi poßit: ex ijs enim naturis, quæ in hoc quasi congressu, & coalitione commiscentur, quod inter metallicorum genera effici potuit optimum, effictum est, quia id habet, quod vsu naturæ suę omniū aptissimum est: hanc præstantiam permulta testantur, omittimus nunc commentitias fabellas, de quibus cum hac de re vna diffusius agemus. In primis ergo indicia dantur, quòd nec rubigine euanescere cogitur, neque squammam parit: hanc non producit, quia non vritur, illam non effundit, tùm quia non vritur, nec ab igne domitum superatur, & propterea ne quidquam exusti gignit, tùm quia maximè non putrescit, sed hæc oportet intelligi fieri ob id, quòd exiguitas aquæ non tollit castimoniam aurei corporis, & quòd, cum multùm densitate, & prętereà siccitate præstet, extrinsecam humiditatem quantum acrem libet aditu arcet, quò fit, vt nulla labe adeatur. Credimus hercle ita eße, istisque rationibus potissimum assentimur. Itaque earum auctoribus Hip. Pl. Ar. Gal. *assentimur. Aurum igitur, velut metallicum, omni vitio caret, atque in sua colligatione frigidum, & siccum est cum exiguo humido, ac minori calido; si quidem ignis multùm discedit, (valde enim sicca, non caueri potest, ne frigida eadem fiant) rem ita se habere docent maiores; quod autem ipsi creuerint, nitemur nos defendere, & reliquis specimen esto, patientur ēt alij, ut, quēadmodū opinionibus Gingilli, Democ. (hūc cōmemorant quidē, ut nomen, & dignitatem arti adsciscant) Arabum, recētiorumque, & minus quoque illustrium se infici permulti non iocosi viri patiuntur, sic nos illorum iudicia sequamur. Sequitur, vt dicendum sit, cur aurum, cum igne non vincatur, a naturali calido minus possit vinci, ex quo nascitur,*

libr. 1. de tuen. san. c.

quòd

quòd nec alimentum naturæ, & nec medicamentum forte, niſi quadam obſcura ratione eſſe poſſit. Illud autem ſic eſt iudicandum. Odorabile eatenus odorem continet, quatenus facultatem ſapidę ſiccitatis abluendæ obtinet, & abſtergendæ, cum in aere tantummodo, & aqua odorari liceat, nec verò in igne, nec in terra: in hac quidem propter nimiam ſiccitatem, & frigiditatem: in illo propter ſummum calorē, & ſiccum. Illa enim vehementius conſtringit, & ſic odorem cohibet, nec expirat; ob eamdē enim rationem, iam oſtēſum eſt amara non olere. Hic ob id, quòd nimis rarefacit, & propterea humidum omnem extenuat, ac odorem diſflat. Itaque odoris natura conſiſtit in humore ſapidæ ſiccitati iuncto. Odorationem ſane huiuſmodi a ſapida re proficiſci argumento ſunt, quæ odorem emittunt, quæq; eo carent. Siquidem elementa ſeparatim inodora ſunt, vt ignis, aqua, aer, terra: quoniam horum ſiccitas, & humor ſeparatim ſaporem non continent, niſi id a commiſtione alicuius rei pręſtetur, & iccirco mare odorum eſt, quia ſaporem adeptum eſt: rurſus aqua fluminum non odorabilis, quia non ſapida: lapides præterea inodori, quia inſipidi: ligna odorabilia, quia ſapida, & ex hoc genere, quæ non ſunt ſapida, non ſunt odora: Præterea in metallico genere aurum odoris expers, quia inſipidum, ęs autem, & ferrum odora, quoniam ſapida; poſtquam verò humor exhauſtus eſt, omnium ſcoriæ minus odoræ euadunt, quia minus ſapidę. Iam verò certum eſt, nihil fieri odorabile, quin illud ipſum ſapidum ſit, quoniam ſeſe ſapida, & odorabilia ſiccitatis, & humoris finibus continentur. Hinc omnino ortum eſt, quòd nequeat eſſe odorabile, quidquid caret penitus ſapore: ſaporem verò ſibi non aſciuit, quod eſt humoris plane indigum, quo ſiccitatem abluendo odorem conſciſceret, ac

expi-

expiraret. His igitur expositis, intuentibus, modò adspexerint, cognitum esse potest, aurum propter exiguitatem humoris odorabile omnino effici non posse. Quòd, si tantò antecellit siccitate, vt saporem non assecutum sit, & alimenta queque ad saporem innituntur, & maximè ad dulcem, si considerare volumus, quæ sit in auro excellentia, & dignitas, intelligemus sane, quàm inscite, secundũ Hip. Plat. Arist. Gal. placita, vt alat, crederemus. Multò etiam hæc omnia clariora fient, si diligentiùs explanauerimus eas conditiones, quibus nutritio indigeat, vt excellenter perficiatur, cuiusmodi esse auri poculenti nutritionem testantur: nec nos pœnitebit ex Gal. omnia transferre. Atque (inquit ipse) optime quidem nutriuntur calida, humidaque corpora; quippe quæ nutrimentum, non solùm alterant celerrime; sed etiam in se recipiunt, agglutinant, & adsimilant: pessime vero frigida, & sicca, vt quæ neq; alterare, neq; in se recipere, neq; agglutinare, neq; adsimilare queant. Quòd verò id, quod humidissimum, mollissimumque est, promtius quod alteratum sit, & in se recipiat admonendum potius, quàm probandum, sicuti quod siccum, durumque est, nihil in se ingredi sinit, priusquàm aliqua ex parte sit diuisum, ac veluti exulceratum: siquidem, & quod faciliùs, & celeriùs, tùm agglutinantur, tùm coalescant, quæ humidiora sunt: quę verò duriora partim nũquam, partim vix, nemo est qui ignoret: sic quòd optima cõcoctio fit, tùm appositio, tùm agglutinatio, tùm nutritio: quippe concoctio, & nutritio alterationes sunt: appositio verò fit, cum id, quod nutritur halitus speciem nutrientiũ in se recipit, alimenti verò agglutinatio quædam eius iunctio est. Post quæ omnia, non leue commodum ad assimilationem est nutriti corporis humiditas, cum eius, quod alit,

libr. 3. de symp. c. 3. Gal.

alit, in consistentia est similis. Quòd, si hęc verissima sint, vt nemini dubium esse potest, promtum est iudicare (ne in apertissimis rebus insolentes videamur) aurum non posse corporibus alimento esse. Ad hanc enim rationem maximam vim habent, quæ de nutritione exquisiuimus paullo ante: nimirum, nutritioni, vt perfecte constare ipsa possit, nec in vllo officio claudicare debeat, has mutationes, quæ se se vicissim probe adiuuent, esse subeundas; talem verò quamdam incredibilem artificiosi auri, diuiniq́ue testantur nutritionem. In primis in summo naturæ, admirabiliq́ue opere oportet, quòd assimilentur ea, quæ sunt altura: id vt fiat, corpus alendum necesse est alimentorum in se halitus speciem receptam agglutinet; nec verò ante ipsum agglutinatur, quàm apponatur; apponi etiam nequit, nisi prius distributum; distribui non potest, antequam coctum; deniq́ue concoquitur alimentum maximè quod calidum est, & humidum (quod est, ac dixerit Gal. perfecte tenerum, & frangibile) odorabile, & sapidum, quorum nullum auro inesse demonstrauisse arbitramur. In hoc verò pleniùs intelligendo, ratio omnino habenda est naturæ auri, quod iam est liquatum; duabus enim, quasi personis aurum à nobis indutum esse commemorandum est, quarum vnam, nimirum, naturalem, quã alere opinãtur, reiecimus: nunc sequitur, ut de altera, nimirum, artificiosa, quę præsidio naturæ esse possit, sermonem instituamus. Sin sit, igitur quispiam, qui plurimùm auro tribuat tamquam medicamento, equidem eum diligenter tenendum esse modum eius fruendi monemus. Corpus quidem eius natura in suo genere perfecte procreatum sane frigidum, & siccum maximè esse ostendisse arbitramur, atque talibus corporibus non contingere posse, vt à calido innato subigendum, &

concoquantur, qua ratione etiam amara verè alere non posse ostensum est. Verùm enim verò, si quidquam omnino est certum, nihil profectò magis, quàm æquabilitatem naturã auri, tum singularum suarum actionum conseruare non posse, si alienam naturã liquatione sumere cogatur, & mutare suam: atqui hæc mutatio naturarum, vt ab alijs, quàm à calidissimis, & erodentibus mistis fiat, desunt penitus rationes, quę probent: atque hęc dicuntur ex eo modo, quo aurum liquari, & ad vsum alimenti, aut medicamenti verti, etiamnum posse concederemus. O rem plenam controuersiæ. Sed iam nos, vsu auri concreti tamquam alimenti reprobato, nunc suscipimus nimiam auri liquati vim, & acerrimam a natura vllo modo ferendam: hanc verò ipsam neque Apollo medicinæ parens audeat, ab alia, quàm ab ipso igne ei inditam esse, enunciare. Calor autem auctus valentiùs quidem alterat, mutat, & coquit: modò tamen non eò incrementi peruenerit, vt colliquet: namque tum nedum ad concoctionem, sed etiam ad omnia esse inutilem, & pernitiosum, vt demonstremus, nec opus est; tantam enim vim natura non ferret, à qua repente omnia eius opera præcidantur: at, quàm auro non sit difficile diffluere, sed mollissimum, vel potius poculentum effici concedamus, vt in humoris speciem verti possit: id ipsum tamen fieri omnino fatendum est acerrima, & summa vi ignis, & eorum, quæ præpotentissima commiscentur. Age quæsumus: quam humiditatem ei inducere ista potuerint? Propterea hæc cõtemplantes expendere oportet, quæ, si considerare volent, præter summam aduentitiam caliditatem, quam etiam ei initio magnam tribuerat natura siccitatem, hoc fusionis modo maiori quoque constantia roborari credent; quamobrem fieri non potest, siccitati, ac caliditati summę acris vis, &

vrens

vrens non associetur: at qua virtute, & aurum, & plurima chymica inuenta traduntur, illa extrinsecus, nec corpori illita, nedum ore sumta, propter summam acrimoniã ferri queant. Atque hæc vehementia naturarum tantam habet vim, vt ipsa nonnumquam credulis ægrotantibus mortem consciscant, nisi prudentiùs moderentur: quamobrem, cum insit maxima hominibus imbecillitas consilij, diu cogitandum, quæ deliberatio sit in his capienda: nobis quidem, qui imitamur naturam, atque ad eius instituta studiose nostra voluntate impellimur, cauendum, ne ancipitibus præceptis imbuti ad malos vsus deducamur, ad naturam enim ipsam ducem consilium est omne reuocandum. Aurum igitur impotenti conditum virtute, & ipsa quidē aduentitia (si tamen in verum humorem fundi potest) ipsorum fundentium vi expressas, & nō obscuras edit actiones, at in hoc illo actionum genere principatum aliorũ chymicorum præsidiorum, vt teneat, facilè chymistis dandum esse credemus; nulla tamen substantiarum occulta virtute id facere putamus: præsertim cum nos rerum omnium causas, rationemque quærendas esse censeamus: hancque rem aliquando disceptari oportet, nec verò semper ab atomis errantibus præsidium petere, nec nos impediet vlla ignaua ratio: cum pudeat viros physicos ad arcana confugere. O admirabilem licentiam, vel potius miserabilem inscientiã inuestigandi: Ad propositum. Quòd, si auro ante fusionem natura arcanò aliquid tribuisset, numquam adducentur philosophi viri, vt in tanta ignis, & acerrimorum erodentium periclitatione ipsam retinere potuerit: peregrinis igitur, mutata iam suæ naturę constitutione, agere arbitramur viribus. Ita verè totius negotij conditores vsum instituunt: guttam raram quidem congruo humori aspergunt:

metuunt enim, ne acriori uberioris copia vi adhibita, in humorũ perturbationes, aut animi exanimationes incidāt, vt eos exquisito iudicio putares uti ponderum, quamquā haud sciamus, an possint hæc quoque, sed pollicitantiũ studijs responderent utinam euentus. Atqui, cum virtutis iudicem effectũ habeamus, in effectu duo sequimur: ut tutus, vt stabilis: vtcumque omnino à ratione primùm petendum est, deinde ab experientia, vt confirmetur. Sed quoniam illustrem aliquem apparentem effectum nonnumquam consequentem nobis cernere contingit, isque positus esse videtur in quadam illusoria renouatione viriũ, & apparenti recreatione, quæ vulgo creduntur suffragatę periclitantibus, has tamen paullo post morbus demolitus accessionem adiungit calamitati, id cur fiat dicamus: siquidem omnia persequi posse vellemus, dicendum igitur est, quale hoc virium ex auro poculento incrementum, tamquam fulgor, placeat esse. Itaque aurum poculentum sua exquisita tenuitate, ac subtilissima penetratione quamdam velocissima mobilitate vigentem auram cuncta repentè, solida corpora peruadentem intulit: penetrando autem, calorem vitalem confirmare creditur, acutus verò calor nouos, veluti vitæ motus, ciet, actionumque breuem opportunitatem augere videtur: nec verò id alienum etiam est à natura caloris: omnis enim calor, modò non liquaret, motionibus præstat quia nullus motus sine aliquo calore congruo possit permanere, & edi: talis tamen actionum aliunde quàm a calore innato adueniens motus ullam potest tribuere constantiam: atenim, si hi motus ex auri poculenti mobilissima caliditate more naturæ agerentur, & viribus, temperationeque solidorum corporum, magnis quidem illi motus bonis hanc virium accessionem præstarent: verùm harum actionũ

incon-

inconstantia ad eorum, quæ diximus, ad probationem mirificè pertinet: quare, an solida non alat, augeat, sustineat, addubitare non potest; itaque si nos acres, ac diligentes iudices esse vellemus, animaduersoresque auri poculenti, atque reliquorum chymicorum præsidiorum, falsam euidentiam, fucatas vires intelligeremus, si tamen ostentationem spectemus, sane ex inconstantia, ex breuitate actionum, ex acriori contentione, ex remissione facultatum, ex insolentia gustatus, ex non ferendo sapore, ex acuto odore, ex cæteris similibus, ita facilè iudicabimus, quid chymicorum præsidiorũ potestate apte fiat, & vtiliter, quid ab instituto naturæ discrepet: quo in genere non est difficile quale, quodque eorũ sit, ex alijs iudicare, & præterea insignem etiam fructũ comprehendere, qui maximus interdum prouenire potest ex eorum optimo vsu. Quid enumeremus quintarum essentiarum multitudinem, rerum balsamos, spiritus, & id genus famosa nomina; sine quibus, quemadmodum chymistæ uitã, nec omnino longinquam, nec florentem traduci posse opinãtur, quidem eximijs ijs inuentis aliquid esse dandum censemus: dari autem potest, vt reliquis lentioribus, pigrioribusque præsidijs ministrerentur: perspicuum est enim, quòd sui parua admodum mole illa exculta subtiliora redderẽtur, & aptiora, quò intimius, velociusq; peruaderent, quamquam ipsa sincera non fieri põt; quin potius confectores, et cõsumtores omnium solidorum eßent, namque quocumq; inuaderent, cuncta disturbarent, ac dissiparent; eorũ.n. calor is est, non vt tepefaciat, sed ẽt comburat. Sed addamus imitandũ esse, qđ principes artis sępe factitarũt: etenim ipsi, ubi quorundã præsidiorũ vim in remotiores, vel ægre peruias sedes prouehere longiùs cũcupiuerunt, eorũ quippiam adiũxerũt, quorũ vis longe, lateq; pertingit, & colluceat. Pulmonibus

enim

.n. renibus vtero, vesica, remotioribusq; sedibus inuectiò certè nulla, aut nimis imbecilla esset, nisi cõis ars ab excellentiori rerum virtute auxilia petere didicisset, vnde, aut initio dari potuissent subsidia, aut postea subueniri, si ipsa vi impotentium morborum præmerentur. Ex quibus omnibus, multisque alijs perspicuum est, qui fructus percipiantur, quęque vtilitates, ex rebus ijs, quæ tempestiuę, domitęque sunt, & quadam salutari vi coercitæ, vsui possunt esse; intempestiuæ verò, indomitęque, & nulla lege constrictæ interficiunt: quod qui parum perspiciunt, hi sæpe multa, quæ hominibus maximè prodessent, penitus reijciunt. Iam verò huiusmodi rerum acrium, & quæ non sunt edendo apta, quęque semper noceant, aut aliquando prosint, alia sunt lethalia, alia solùm medicamenta. Graui quidem auctoritate cùm philosophi, tùm etiam Æsculapio oriundi medici seuerè, atque sanctè hæc confusa, de quibus nunc agimus, ratione distinguunt; vt honestis consilijs, iustisque factis, non inscitia, & imperitia nos intelligamus, quę velimus, consequi posse: quę ergo uitam hominum tuendam deleteria, hostiliquc prorsus vi aggrediuntur, & delent, ea etiam vitanda penitus esse censent, neque ad ea vmquã, nisi extrema necessitate compulsi, confugiamus; quoniam horũ, quæ tota substantia animãtium generi cuipiam summe aduersentur, quemadmodum supra dictum est, putrefaciũt omnino cuncta, eiusque generis animantium deleteria: quę verò caloris sola redundantia obsistunt, si crassę essentiæ, terrenęque sint, interiora exulcerandi facultate pollent, sin tenuis essentiæ vrinam promouent, sudorem ciendi uim habent. In summa autem incidendi, & digerendi per halitum. Nonnulla autem eiusdem generis, quæ habent quidem suos impetus, qui tamen nos sua immanitate non

terent,

terent, ad commoda vitæ traducuntur: quia nullam perniciem, arte quadam mansuefacta, hominum statui possunt afferre: in quibus tamen vsus, & consuetudo eò deduci debet, vt periculũ ab vtilitate secerneret, & constitueret semper tutũ aliquod, & vtile: pleraque ex his sunt, quę medicorum opera vsui accommodantur, quæque plurimùm prodesse verè arbitrantur, in acutioribus præcipue sapienti administratione egent. Hæc nobiscum, & cum alijs exquisiuimus, quę doctissimorum hominum, optimorumq́ue virorum iudicio, & mutanda, & corrigenda proposuisse uoluimus, vt neque contra veritatem, neque contra maiorum pręcepta loqui nobis licere putaremus, cum communem totius generis hominum conseruationem colere, tueri, & seruare nos obligatos intelligeremus.

De octimensi partu. Cap. XXXIII.

DE partu octaui mensis vetusta est cõtentio, quæ adhuc permanserit, principesq́ue viros in contrarias torserit sententias; eò enim alij rem dimittunt, quòd is sit vitalis, si tamen nullum aliud nascendi tempus homini natura pręscripserit, quàm illud, in quo fætus expletam adeptus est formationem; quòd etiam, si vnus octauo editus mense partus, vel alter superesset, nulli vmquam esse credendum, ne huiusmodi vitalis esse posit: huius autem opinionis Arist. virum nemini secundum, & non solùm inuentorem, sed etiam ipsarum rerum amplificatorem auctorem secuti doctissimi homines, cùm superiorum sęculorum, tùm etiam recentiorum, magna animi contentione idem testantur: siquidem suis confidunt testibus, & uel importune insistunt. Alij lacerant hanc opinionem, veraces

suos

suos testes anteponunt, propterea nullum partum, qui octauo mense sit editus superstitem esse posse dicunt. Ita qui omnibus studijs, contemplatione rerum, cognitioneq; præstant plures opiniones effecerunt dissentientium: rem quidem apertam vni experientię innixam requirere videmur, requirentium tamen obscuritate ipsa occultatam. In quo nonnulla repetemus, nonnulla incohata persequemur: nec verò ignoramus, in omnibus, quæ inuestigantur ad similitudinem veritatis propiùs accedere ea, quæ dicentur, modò cum præstantissima naturę prouidentia congruant. Cum autem in omnibus rebus quę quæruntur, discuntur, & cognoscuntur, inuitamenta sunt, quibus ad discendum, cognoscendumque mouemur, tum maximè in illis existunt, & ab eis excitamur, quas assiduitate quotidiana, & consuetudine oculorum, auriumque videmus, & audimus; neq; tamen tam animi assuescunt; vt admirari desinant: eiusmodi sane habemus partum hominis octaui maximè mẽsis, cuius, cum permulti rationem, causamque requirerent, perinde, quasi illos nouitas excitaret, quam natura ipsa rei, eam in siderum aspectus, in planetarum influxus, quin etiam, si Deo placet, in numerum simplicem reiecerunt: sed an quidquam tam nouum, ac forte puerile dici potest, quàm naturę ordinem, constantiq; aspernari, atque ipsam in suis, vel maximè excellentioribus operibus constantissime conficientem vicissitudines, nisi impediatur, cum summa salute, & conseruatione rerum omnium deserere. Illud etiam in primis nobis verè dicere uidemur, quòd, quemadmodum omnia mulieribus non derogamus, sic nec curiosissimi homines, exquirendo, audire tam multa possunt, quàm multa in hoc argumenti genere, non solùm mulieres, sed etiam mathematici, & astrologi commemorant. Aperiendum est igitur.

quid

quid natura efficere solet in cunctis suis operibus, & corũ causas proximas, non autem remotas inuestigare, aliter enim explicari in quoque genere, quod quæritur, non potest; quas si explicauerimus, non hæsitaremus: hanc quidem indagationem tantò à nobis suscipiendam fore arbitrati sumus, quantò hæc exercitatio ingenij, hoc curriculum mentis ad rationem nutrimẽtorum maximè pertinere arbitramur; quoniam, si alimenta mores, & mentem ipsam acuunt, aut obtundũt, profectò non potest negari, ab illis etiam fœtuum speciem, formam, figuram, valetudinem, vires, lacertos, suauitatem coloris conformari, nec verò quàm procul aliunde. Vtrum verò digniùs mulierum enarrationibus, mathematicorum, astrologorum, quasi superstitione, hanc quęstionem explicari, an naturæ explicatione? Philosophi quidem ex causis antegressis, & ijs sane proximis vitales, aut morituros partus, quibusque mensibus orituros intelligũt, ac prouident. Vetus opinio est, omnium philosophorum consensu cõfirmata, quòd vt in rerũ seminibus uis est earũ rerum, quę ex ijs progignuntur; sic in causis conditæ sunt res futuræ, quòd, si ne id quidem concedatur, numquam certe quid futurum sit effectum, intelligetur. Sin verò sit. Hęc vis causarum ab effectibus necesse non sit seiuncta. Nunquid dubitabimus hæc ita se habent? Ex eo sane intelligimus, naturam conseruatricem esse sui, idque habere propositum quasi finem, & extremum, se vt custodiat in quàm optimo sui generis statu. Itaque oportet fœtum, qui octauo mense editur, vel non esse naturalem, vel vitalem, qui etiam, si occidat, nihilominus necesse est, intereat; quia totum perturbatum, ægrumque corpus est, dolet, & caret viribus; cum verò negari possit eamdem vim, omnẽque facultatem, atque causas fœtibus inesse, quibus etiam

in maioribus natu humores, aut incitantur, aut reflectuntur; atqui isti morborum vi omnibus temporibus intereũt. Sin ita, cur igitur opus est aliam externam exquirere causam, quam modò dicimus, nec hæc nos profectò fallit. Numquid quotidiana experientia docet, quòd, qui carent omni in victu vitio, vires, lacertos, sanguinem bonum gignũt, iccirco bona valetudine fruuntur: illorum verò, quos victus flagitiosus, & vitiosa abundantia humorum præmit, inquinata vita multos tulit ante naturæ diem. Ita ab initio semen impurum, & contaminatum fœtum imbecilliorẽ effingit, matris improbũ lac, & sanguis ægrum constituũt; quamobrem ipse in vtero grauibus semper vrgetur casibus, quorum magnitudine plerumque partus ante præscriptum tempus sollicitatur, & propterea multò languidior exoritur, quàm vitalis esse possit; quo circa non est mirandum, quoque mense edatur, si minus auræ vitalis compos fiat: reliquos verò omnes, qui in causis naturalibus positi sunt, fieri potest, vt omnibus mensibus vitales permanerẽt modò plane figurati, & bene alti fuerint. Ita, si inuestigemus tantam rem, quam tam admirabilem multi opinãtur, si velimus, illud etiam exploratum habere; nimirum, secundum naturę ordinem nihil fieri potuisse sine proxima causa, eam sane admirationem, quam nobis numerus mensium, mulierum historiæ, astrologorum, mathematicorum; considerationes attulerint, naturæ ratione depellamus, nec hærebimus in cognitione: Etenim harum rerum omnium causas, si à natura quęramus, numquam illa dicat, horum vi partum octaui mensis, nec forsitam sexti non edi vitalem; sed rationem huius reddet naturalem, nihil videlicet fieri posse in suo ordine absque causa antegressa, & proxima: nec verò quidquam fit, nec id factum est ab alienis,

& re-

& remotis causis: quas enim res tùm natura, tùm casus affert, & quas nõnumquam etiam errores in victu efficiũt, magna superstitio est, earum sidera, adspectus, numeros facere effectores, & causas ipsas non quærere naturales; hinc enim est, ut maiora videantur omnia, & admirabiliora non inquirentibus: accedit illud etiam, quòd in obscurioribus rebus, & admirandis, tam commenta finguntur faciliùs, quã impuniùs; Ergo repetamus, quòd, si octaui mensis partum obseruare, animaduertere velimus, reperiemus illum vitalem: quandoquidem eadem natura, ipsum, modò perfectus fuerit, edit, quæ septimi, noni, decimi partus perfectos educit: ne verò raritas mirationem faciat: sat est scire. Vnum esse naturæ motum opportunum, & voluntarium, quasi eligentis, ac prouidentis: huiusque non reperiri causam externam, nec ab eius instituto declinantem; nulla enim vi cietur, quia ipsa in se eius principium continet, vt sit in sua potestate, illique pareat, donec, opere absoluto, effectũ videmus. Ad naturæ verò importunos, quasi dicas motus inuitos, & non eligentis, externa est requirẽda causa, quæ non vera rei causa, propter quam natura opus suũ molitur, nec eam ipsa in se continet, neque in sua potestate, vt sibi pareat: quin, verso fato, naturam impedit, & ab opere distrahit. Ita in hoc statu partus expulsos, nedum octaui mensis, sed etiam aliorum putandum esse exituros sane mortales: Multiplices autem causæ possunt naturam cogere, vt vterum ante tempus præscriptum aperiat. Putamus ne tantas mutationes in corpus solùm cadere, sed in ipsum etiam animum? Corporis quidem mutationes sunt ęgrotationes; harum verò variæ temperationes, tùm simplices, tùm cum materia iunctæ, tùm instrumentorum propriæ, & hæc omnia, tùm matris, tùm etiam infantis. Ani-

mi mutationes sunt mores, consuetudines, affectiones, opiniones, cupiditates, voluptates, dolores, formidines. Iam verò illud insolentiùs, mirabiliùsque est, quòd partum nōnumquam accelerant respirationis necessitas, paruitas matricis, magnitudo fœtus, defectus alimentorum: Præterea materia, ex qua fętus expressi, atque effecti sunt, ipsa tota penitus commutari potest. Equidem, qui hæc non intelligunt, minus consequentur seminum vim, quæ ad gignendum, procreandum, formandum, augendumque plurimùm valēt, tum valde labefactari, si initio, vel mediocris error in quapiam parte principe obrepat. Quid? illud ne dubium est, fœtui ita constituto, satis non sit virium, vt possit lucem vitę adipisci, quouis exitum moliatur mense? quòd, si vllum horum infantē non vrgeat, tamen importune insistas, quòd experientiæ sit credendum, nimirum, nullum octimimensem partum esse vitalem. Quamquam nec nobis principum virorum auctoritates desint, nec vendicatio, nec experientiæ ostentatio, de quibus mox dicemus: veritati tamen rationem etiam præmuniemus. In primis naturam non solùm indoctè, sed etiam impiè accusabimus, quę cum in cunctis se iustissimam præbuerit, vt quæ vni humanæ speciei totum mensem deleterium, in quo absque spe periclitetur, destinauerit, cum omnium specierum immortalitatem quadam renouatione sustentet. An ita sit, id erit infœlici fato factum, vt omnes partus hominis lethales in octauo mense prodeant: quid prodest illi naturæ prouidentia, propter quem mundum ipsum visa est fabricauisse. Quærimus ēt, cur magis in vno, quàm in alio mense post formationem id fiat: num id mutari possit? ò iocularem licentiam: incubamus adhuc in hanc considerationē. Itaque sensibus probandum: sic quidquid acciderit specie probabile,

babile,

babile, si nihil verius se offeret, quod probabilitati non sit contrarium, vtuntur Philosophi eo: etenim omne sequendum est probabile, non sit tamen ostensum, modò fuerit simile veri, & naturæ congruens: quis autem id neget, nescit, quid possit natura; aut negligit res naturales; aut quid sit optimum non potest iudicare: is facile naturæ mundi administrationem reprehendet, quæ in cunctis, quod effici potuit optimum, efficit; ipsa enim non artificiosè ambulās omnia, nisi coerceatur, ciens, & agitans motibus proprijs, & consensu, cognationeque continuata conspirat. Hoc est, quod testatur magnus Aristoteles, dicens. Calores, & refrigerationes cum moderatione quadam generationes, sine moderatione corruptiones efficiunt; terminum autem tùm principij, tùm finis qualitatum earum, calorum videlicet, & refrigerationum, motus Solis, & Lunæ obtinēt; ut enim mare, & omnem humorum naturam subsistere, permanere, mutarive pro flatuum motu, & quiete videmus; aerē verò, et flatus Solis, Lunæque circuitu affici: sic ea, quæ ex ijs, & in ijs oriuntur, sequi necesse est: nam, vt rerum minus principalium circuitus sequantur magis principalium rerū circuitū, ratio est, vitam enim quandā, & ortum, & interitū, vel flatuū esse fatemur. Conuersionis verò Solis, & lib. 5. de Gen.ani. c.10. Lunæ alia fortasse principia sunt. Natura igitur sibi vult, vt eorum numeris generationes, & obitus numeret: sed exquisitè id facere nequit propter materiæ indefinitionem, & quòd multa principia incidunt, quæ generationes destinatas secundum naturam, & corruptiones sæpe impediāt: atque ita causa sunt earum, quæ eueniant præter naturam. Atque hoc penitus non ex hominum more solùm, qui naturalibus desiderijs saturantur, sed etiam ex bestijs intelligi potest; ortum, iucunditatem, vitę longitudinem esse positam

tam

tam in naturalium rerum desiderio non in satietate: qui enim secundum naturã viuunt eo contenti, quidquid, modò à natura non sit alienum, obiectum sit: his autem nihil abest, quòd a sapientissimo duce dirigantur, quoniam natura generando omnia complexa est, quæ cuique opportuna essent, vt oriũtur, augescerentur, pubescerent, adolescerent, senescerent, denique natura dissoluerentur; ita in omni vita secundum naturam conseruarent initia, progressus, reliquosq́ue motus constantes, ac ratos. Si autem omnia genera cupiditatum nanciscantur, venentur, & vescantur ijs; tum propter materiæ indefinitionem, & reliqua iam dicta præter naturam eueniunt, tùm abortus, tùm exortus mortales, tam in octauo mense, quàm in alijs mensibus, qui magis fæcundi putantur. Vtcumque enim temperatus est sanguis, ex quo alitur, ita fętus animari, atque formari, ex eoq́ue etiam initia, quibus pueris orientibus, & grandioribus ingenia, mores, actiones vitæ, casus cuiusque, euentusq́ue magna ex parte finguntur: hanc autem maximè volumus contagionem a sideribus ad fętus pertingere posse? Sed quæ tanta fiducia est, vt negandum sit, fætum in octauo mense in lucem prodire vitalem non posse, cum, & partes ad concipiendum; & procreandum aptissimæ fuerint figuratæ, in hisq́ue locis cum semen insederit, rapueritq́ue probum omnem fere sanguinem ad sese, eoq́ue septum, perfectũ finxerit animal: siquidem vllam aliam causam putandum esse, cur in septimo, in nono, in decimo pueri orientes sint uitales, ijdemq́ue sint etiam mortales, contrario vbi modo omnia iam dicta accidant. Hæc animo tractans Arist. scriptum reliquit. l.4. de histo. ani. 4 *Qui autem mense octauo nascuntur, viuere, ac adolescere in terra Ægipti possunt, & quibusdam alijs in locis, vbi mulieres fertiliores sunt, multosq́; simul*

facile

facile ferunt, & pariunt, etiam si monstruosi sint. Sed in locis Graeciae multi intereunt; nec nisi perpauci seruantur, vnde fit, vt si quis seruetur, non octauo mense natus existimetur, sed mulierem sui cōceptus initium latuisse. Quòd Aristoteli Galenus constet, ex his facile intelligi potest. Quādo enim (inquit) octauo mense conuertitur fętus, hunc sane motum ex se ipso ciet, atque tunc paritur, cum vehementiùs commotus, aliquam ex continentibus membranis effregerit: cum verò mulieri partus tempora adueniunt, tunc puero commoto manibus, pedibusq; calcitranti, aliquam intimarum membranarum dirumpere accidit; vna effracta, reliqua imbecilliorem facultatem habet: atqui prima foetum ambiens laceratur, deinde vltima: quando igitur, necdum vtero foetus per abortum eiectus, continetur: neque, vt motus ipsius incolumes seruentur, fieri potest: perinde verò atque isti, neq; illi fide digni sunt, qui septimū mensem, ac nonum foetuum partus efficere arbitrātur: octauū verò, ac decimum, egresso praeter naturam vno mense, naturalibus tardiores efficere asserunt, quod secundo popul. libr. ab Hip. dictum esse volunt in illis verbis, vbi dixit: postero, ac si dixisset posteriori tempore, aut mense, sed hoc in libro declarauimus. Videmus nè quanta series rerum, sententiarumque sit, atque vt videatur Gal. reprehēdere vtrosque, tùm eos, qui partum naturalem in septimo solùm, & nono, tùm eos, qui in octauo, & decimo praeter naturalem morem partum egredi asserunt; perinde ac innueret: partum naturalem in alijs etiam pręter septimum, & decimum mensibus fieri posse: ipse enim non sibi indulgens, nec opinionibus deseruiens iudicium Hipp. sequitur; itaque eam sententiam complecti videtur, quae decimi mensis partum concelebrat, ita scribens. Hic pariter aphorismus ex illo-

G.3.vulgar.3.

5.aph.37

rum

rum numerô est, quos diximus defectum alimenti fœtui significare : communes enim quędam venę sunt mammis, ac vtero, quæ, vbi parum habuerint sanguinis, graciles quidē mammas reddunt, atrophia autem, idest alimenti cessatione, nonnumquā fœtum perimunt : nonnumquam etiam ad excretionem excitant illam ob causam, quam ipse in libro de natura fœtus per hęc verba explicat. Alimentum, atque auctio à matre veniens, non amplius est infanti sufficiens, quando decem menses prętererint : & fętus auctus fuerit; trahit enim à sanguine ad se id, quod est dulcissimum, & simul etiam lactis parte aliqua fruitur : vbi verò hæc illi rariora fuerint, & iam infans molem corporis habet, plus cibi requirens, quàm illud, quod adest, calcitrat, & membranas dirumpit : liquet igitur (inquit ipse) quòd, & ante decem menses fœtus est indigens alimento, & calcitrans, ac membranas dirumpens, initium partus matri affert. Sunt hæc clara, vnde perspicuum esse potest Galenum, & decimum mensem tamquam partui naturalem complecti, & octauum tamquam naturæ infensum non repudiasse : seminis tamen vim esse tantam cognouit, vt, si inciderit in concipientem, comprehendentemque naturam, nactumque sit materiam, qua ali, augerique possit, & omnia conspirent pro consuetudine, plurimùm animal effingit, & perficit nono mense, quē tamen nonnumquam pro excellentiori impetu, & magis, minus ve fæcundiori apparatu antecedit, aut retardat : dissimilitudo enim naturarum, & casuum, quæ omnia quidem percurrere oratione, et cogitatione nō est facile, dissimiles hominum procreationes habet, atque ad nascendum, vel maximè valet : sed, vt acciderit, nulla quæstio est (modò maneat id, quod negari nec pōt, nec debet, nisi omnem historiam, omnemque consensum omniū philosophorum,

rū, medicorumque fidem peruerterimus) cunctis sæclis verax fuisse illud, quòd, statum cum consecuta est natura, suique similem, nimirum, perfectam adepta est conditionem, finem melius cupiendi facit, & agendi: namque omnia procreata, cum sui similem, videlicet suum finem contigerint, veluti paribus examinata ponderibus, verè ad naturalē constitutionem penetrauerunt: in qua etiam insistunt, & progrediuntur, dum natura opus, quod ipsa construxit, lente, & leuiter dissoluit. In tanta differentia naturarum non est mirum, aliquam reperiri, quæ tantam nanciscatur vim, ut alia nonnunquam aliquid præstare possit, quod alia in eodem genere non possit: singularis igitur suum quæque natura fabricat opus, nimirum, fœtum, beneficumq; se pro viribus bonorum effectorem præbet. Ad quam igitur materiam, ex qua est futurum animal, quodque aptissimum erit efficiens, scilicet vis seminis, ex ea sane orietur puer, in quo necessariò consueta, familiaris, & salutaris naturę nascendi inerit ratio: sin aliquando materiæ, quasi necessitas, aut vis efficientis ad id naturam detruserit, vt in hoc statu nonum mensem pertranseat, aut anteuertat; nihilominus putandum est, pueros orientes existere vitales, nisi tamen quædam maior vis obsistat; in cunctis enim siue stirpibus, siue animantibus videmus naturam suo quodam itinere ad vltimum peruenire, siquidem suis seminibus omnia gignuntur, augescunt, continentur, & sic consentaneas actiones adhibent: atque hęc omnia, quasi sępimento aliquo vallabit Gal. Etenim is diligenter totam rationem complexus partus, causas, effectus, et quasi naturæ cōsilia, sic uerbis explicat, vt eos, qui attentè animaduertant, quocumq; incubuerint, de mensium ratione possit planè docere. Quippe (inquit ipse) nouem mensibus plerique mulieribus perfi-

citur in vtero fętus, qui tota quidem ceruice conniuet, complectitur autem fœtum vndique cum secundis. Estque tùm oris conniuentiæ, tùm moræ fętus in vtero finis ipsa vtilitas actionis, neque enim temere, aut sine ratione condidit vterum natura ad complectendum, retinendumque fœtum sufficientem, idcirco, vt, quod gestatur, ad debitam perueniat magnitudinem: ergo, vt id completum est, cuius gratia retentiua potestate vterus est vsus: vtique hanc inhibet, ac cessare facit, propultrice, quæ hactenus quieuerat, loco eius assumpta. Paullo post. Si quidem succedentibus rite omnibus, quæ in vtero fiunt, expulsoria uis veluti nulla sit, ipsa omnino quiescit: improspere autem cedentibus, vel circa secundas, vel cęterarum mēbranarum, vel circa ipsum, qui gestatur fœtus, & desperata prorsus eius perfectione, non amplius expectat vterus nouem mensium temporis moram, imo retentrix facultas ab opere desistit, & ei, quæ prius quieuerit, moueri concedit. Ex his nobis licet non hærere, sed sententiam naturæ, quia stabilitatem habet, amplecti, sic aliorum quidem rationes euanuerunt. Intelligimus enim infantem vtero contineri, quamdiu ipse ad naturalem magnitudinem adolescere possit; mox protinus expultrix sopita excitatur, ut eum profundat, nec verò verè dici pōt, quin reliquos omnes comprehendat mēses, quia præter quàm vnū, & singularē terminū magnitudinis adipiscendæ constituit: proculdubio admittit septimum, & decimum mensem: sed certe res ita se habent, vt quamquam ex naturæ præscripto frequentiùs oriantur nono mense, nihilominus propter eius eximiam præstantissimamque virtutem fit, vt citius, aut seriùs, quamuis rarò, nascantur: contingit enim aliquando, vt fœtus ante, vel post nonum mensem iustam magnitudi-

nem

niem corporum adipiſcantur, quandoquidem in cõſuetudine naturæ illud ſane naſcendi præſcriptum eſt tempus, quando fœtus natura in ſe perfecta, & ad ſummum erit perducta: quod etiam clariùs patet, quoniam plerumque fœtus noni menſis interdum initium, interdum medium, interdum extrema menſis occupant. Itaque ad ortus hominum commoditatem, aut potius ad efficientis robur tantam menſium latitudinem natura largita eſt: vt ea donata conſultò naſcituris, non fortuito videatur. Ipſum autem naſcendi modum eadem natura non ſolùm temporum beneficio muniuit, ſed etiam formationem, & motum ipſius fœtus, tamquam indices fideles, attribuit: ita nuntios futuri ortus, & rei valde obſcurę, ſatis apertam intelligentiam incohauit, tamquam fundamenta certa præuidentiæ totius grauiditatis, maturitatiſque partus. Itaque primùm ingenerauit indicem ortus, terminum formationis, cuius duplum temporis motioni fœtus; ad partum verò horum deſtinauit duplum: ſic longa obſeruatione ita fieri non ſuperſtitioſè, ſed phyſice notari potuit: ita enim a principio incohauit natura ipſa totum mundum, vt certis rebus certa ſigna præcurrerent, eaque, quibus bene percepta eſſent, ij non ſæpe fallerentur, quòd, ſi male coniectentur, maleque interpretentur, falſa ea quidem videantur, oportet, ſed non rerum, cauſarumve ratione, ſed interpretum ignorantia. Hoc poſito, quod negari nequit, non difficile fuit Hip. & conſequentibus ſæculis præſentire, aut arte, aut ratione, aut vſu, aut coniectura: qui enim curſum rerum, euentorumve conſequentiam, diuturnitate pertractata, notauerunt, aut, ſemper, aut, ſi id difficile eſt; plerumque, quod ſit futurum, intelligunt: quia multa afferre potuit dies, quæ animaduerſa notarentur: quid eſt igitur cumq;

ortus hominum semper fuerint, futurique sint, cur ij quidem quoque mense, & die, & hora, fœtu iam perfectè figurato, non eueniant, non perspicere possumus? Consentaneum quidem est, ut aperte ex eo, quod vi naturæ omni constantia, continuò, rato tempore effici videmus, significationem ortuum consequentium quæramus: Ita fit, ut ab Hipp. notari potuerit, qui fœtus oriens quamque sui ortus causam plerumque consequeretur (dicens.) Ad figurationem trigintaquinque: ad motum duplum, nimirum, septuaginta: ad perfectionem horum duplum, nimirum, ducenti, & decem. Alij tradunt: ad formam quadragintaquinque: ad motum nonaginta: ad exitum ducenti septuaginta. Alij sic: ad discriminationem quadraginta: ad transitum octoginta: ad elapsum ducenti quadraginta. Alij: ad formam quinquaginta: ad primum saltum centum: ad perfectionem trecenti. Alio in libro sic. Et factus iam est puer, & ad hoc peruenit: Fœmella quidem in quadraginta, & duobus diebus, ut longissime primam coagmentationem, ac articulationem accipiens; masculus verò, ut longissime in triginta diebus, ut plurimùm enim hoc tempore, aut paullo breuiore, aut paullo longiore articulatio ipsis contigit. Itaque quasi quisquam concedat, constetque inter omnes, graue etiam argumentum veritatis doctissimis videtur. Ita puella. 42. figurata. 84. mouebitur, in lucem 252. prodibit, sic menses lunares octo, & dies octo. Sic puer. 30. formatus, moueretur. 60. exiret 180. comprehensus menses sex, dies duos, horas duodecim. Verùm, cum in hac naturæ progressione causarum quid sit euidens, de quo inter omnes, cùm Philosophos, tùm Medicos conueniat, in eo argumentari non

debe-

debemus : perspicuitas enim argumentatione eleuatur. Veritatem igitur pro experientia, quam obseruauerint, oportet viros illos quidem bonos, & principes iecisse: & sic etiam omnes veritatis cultores facturos: & quamquam tantorum virorum auctoritas non sit contemnenda; tamen, quoniam omnia, quæ experientiæ annituntur, experientia quoque sustinentur, icirco patientur etiam veteres experientiam, tùm aliarum ætatum suæ propinquarum, tùm consequentium cum sua conferri, maximè quoniam suis rationibus defensam perspicient. Quod igitur à maioribus accepimus, & legimus, & audiuimus, & ipsi cernimus, tamquam verum teneamus. In Gal. rursus videmus hæc. Formatio communis fœtus in diebus triginta in quibusdam; in alijs in diebus trigintaquinque; ac in nonnullis tempus formationis extenditur vsque ad quadraginta, tamen in quibusdam ista tempora anticipant, & in quibusdam pospo-nuntur partitiones totalis temporis formationis, tùm per vnum diem, tùm per plures. Hic nos non alijs testibus arbitramur vti, qui aut casu veri, aut malitia falsi, fictiue esse videantur, sed ex Gal. ipso argumenta sumamus: quare quisque, vno, vel alio sit ortus mense scrutari licet ex euentis ijs præsertim, quibus nobis liceat credere, ita etiam possumus ortuum initia exquirere sine maiorum inuidia. Hæc quidem inter se omnes philosophi, & medici contulerunt, & communi consensu comprobauerunt, & tam nos explicauimus. Nimirum, naturā nihil frustra, quin perfectiùs semper moliri, & numquam vinci, nisi delitijs, otio, languore, voluptate, flagitijsque, & malo more delenita frangatur: quòd, si his addiderimus, quæ de formatione, de motione, de partu

fœtus

fœtus huiusque tradita sunt, & mox tradentur, huius veritatis lumen apparebit: modò illud concedatur, quod etiam fieri posse; quamuis rarò; testantur & antiqui, aliquando miranda vi seipsam in rebus condendis naturam superare; in plerisque enim rebus incredibiliter est ipsa fabricata, etenim si referamus animũ ad hominum, aut cæterorum animantium formam, & figuram, conspiciemus aliquando tantam pulchritudinem corporum, tantam excellentiam animorum inditam, vt nulla species, ne excogitari quidem possit ornatior. Admirabimur igitur quædam opera naturę, quæ, vel citius, vel tardiùs condita præter suã consuetudinem, & opinionem nostram animaduertimus; separatim autem in singulis nonne perspicimus, nec opinata quædam bona? multi sanè sine vlla doctrina naturam ipsam secuti, multa magnificentiùs fecerũt, illi meliùs a natura instituti fuerunt, quàm institui potuissent à philosophia. Admiratione nos quadam verò afficiunt ij, qui anteire cęteros mortales membrorum magnitudine, lineamentorum dispositione videntur, & omni dedecore carent: in alijs visio: in alijs robur, nixus admirabilitatem magnam facit: in alijs tenacitas memoriæ: denique rara quidem præclara omnia: at nos admiratione capiemur maximè, si naturę beneficentia, ac suarum virtutum fœcunditate nonnumquam, tametsi perrarò, quasi perlucet in quibusdam fœtibus ex suis facultatibus? cum omnes naturam veluti suarum diuitiarum prodigam fateantur. Certum igitur hoc sit, idque, & primùm, & maximè necessarium. Nimirum, in pueris, vt plurimùm triginta diebus effingi fœtum, aut in trigintaquinque, aut etiam quadragesimo. Attamen fieri potest; quanta est naturæ largitas; hoc vt curriculo temporis, non æque

omnes

omnes egeant. Quin, si cui maiores, tùm efficientis virtutis, tùm materiæ subiectæ opes suppetant, adiuuant illæ quidem aliquantùm, primò ad formationem celerem per vnum, aut per multos dies consequendam, mox eadem proportione ad motionem comparandam, denique ad lucem adipiscendam. Quibus verò virtutis subsidia, & materiæ aliquantò magis desint, illi etiam longiori tempore egent; tùm ad figuram, tùm ad motum, tùm etiam ad prolapsionem. Dicamus de ijs, qui virtute, fæcunditate, materia, loco, rerumque omnium opportunitate anteire videntur, & cùm omni carere contagione, tùm verò ijs vitijs, quibus fœtus non facile obsistere poßent. Quæso quid erit? per vnum si illi, & plures ante trigesimum dies queant ad se obiectam materiam conuertere, rapere, effingere, & formare? Sin sit: hæc fœtus figuratio, motionem quoque velociorem faciet, & prolapsionem; quòd si contingere potest, non mirum, nedum factu difficile, vt ex vna mirifica naturæ virtute mirifici existant partus, sit tamen miraculi simile, partus vitales quintimenses, sextimenses, septimenses, octimenses, & vsque ad decimimensem, qui incredulis tantum admirabilitatem faciunt. Itaque eos, qui id non fieri posse contendunt, opinamur respexisse ad consuetudinem naturæ, quę communiter, & frequentiùs in homine est perspecta, ac solita spectari: atque plurimis contingere est certissimum. Interim ad exempla descendamus. Ergo fœtui tam eximia insit virtus, materia ei obtemperet, fæcunditas matris non desit, vt vigesimooctauo die figuretur, is analogia naturalium motuum erit sextimensis. Trigesimo alter formetur, is erit octimensis: quòd, si existat in fœtuum genere, qui longinqua formatione constituatur quadraginta die-

rum,

rum, aut quadragintaquinque, aut quinquaginta dierum, illi quidem erunt, nonimenses, & decimenses. Quamobrem, si intelligentia, prouidentiaque naturæ iccirco consuluit hominibus, quòd ijs largita est excellentiorem vim, vt citius, aut tardiùs vno, aut alio mense nascātur, ijs solis bona sorte concederet, quos bona etiam fortuna donauit, nimirum, quos videmus mense septimo, nono, decimo exoriri. Sic haud scimus, an meliùs fuerit humano generi non dari omnino, quàm tam munificè, & large dari tam excellentem vim, quò celeriorem his mensibus tardiorēue nascendi sortem adipiscerentur, quoniam pestifera sit reliquis, quibus tam munifica benignitate ab ipsa esset prouisum initiò: Occurramus igitur. Non iccirco non optime largam oriendi commoditatem hominibus à natura esse prouisam, quòd multi octauo mense pereant, admodum pauci sexto vitales sint, denique similes miraculi, qui quinto superessent, quia fœtus tam præclaro, inauditoque naturæ dono ditati, non iniuria mensium, sed externis casibus male fortunati, cum pernicie vti cogerentur: Sic multos filios, quia patrimonijs peruersè vtuntur, hanc tamen ob causam eos beneficium a patribus nullum habere dici non potest. Itaque non fit ex vbertate virtutum, quæ à natura benignè accommodantur, vt maior prosperitas vitæ in fœtibus non appareat, sed in illis parentū victus, cultusque corporis, qui ad valetudinem referri deberet, & ad vires, ad voluptatem traducitur, qua nullam capitaliorem pestem natura dedit, quò fit, vt infœliciter parentum luxuria, delitijs, mollitie fœtuum corpora occidant: Quamobrem id quidem non est dubium, cur tanta illa benignitas naturæ deterrima videatur: nam quid est tam inhumanū, quàm curricula mensium, siderum diuinitatem à natura ad

salutem

salutem fœtuum, & ad conseruationem datam, ad eorum perniciem, quasi consultò conuertere: Nec minus, vt hoc fugiendum est, item habendum est religioni contrarium: numerum octonarium, quia disiunctus, nocentem, nefarium, impiumque habere. Mirificæ sunt hæ latebræ: nonne pudet philosophos hæc dicere? Ad siderum triangula, quadrata, oppositiones, coniunctiones veniamus. De quibus Eudoxus in Astrologia facile princeps sic opinatur: huic diuinationis generi minime esse credendũ: hoc doctior Arist. illud iam explosit ita dicens. Natura igitur sibi vult, vt Solis, & Lunæ numeris generationes, & obitus numeret; sed exquisite id facere nequit propter materię indefinitionem, & quòd multa principia incidunt, quę generationes destinatas secundum naturam, & corruptiones sæpe impediant: atque ita causa sunt earum, quæ eueniant præter naturam. Quę cum ille scripserit, quid habeant astra auctoritatis plane expreßit; non tantam quidem, vt quę eorum contagio, ex infinito interuallo pertingens ad terram, poßit corpora caduca, & fragilia cogere, vt fato subijciantur, quo quid dici potest absurdius, etenim, si ad fœtuũ formationem, motionem, & prolapsionem pertinet, quomodo cælo affecto, compositisque sideribus ipsi oriantur, ante concipiantur, cur non valeat in brutis etiam, & in inanimis? O vim maximam opinionum. Sed Ptolomeus audiendus, quem Astronomi omnes ducem sequuntur. Non est (inquit ipse) putandum omnia a supernis causis directè deriuari neceßitate quadam inuiolabili, vt nulla alia vis, quin ea operentur, obsistere valeat. Tantum sat est nunc intelligi. Id sumere istos, qui in astra vim fatalem reijciunt pro certo, quod nedum dubium, controuersumque, sed etiam est falsum. Nimirum fœtus octimenses astrorum vi, aut

disiunctione numerorum perimi: quasi omnes sint ab illis quodammodo constituti, hic verò quanta pugna est doctissimorum hominum, negantium esse fœtus ab astris constitutos: At nihil est necesse latiùs disputare, quòd multi sanctissimi patres, & splẽdidißimi homines id fecerunt, quoniã illos, qui Arist. Ptol. Pla. (vt nũc sacra omittamus, veluti quæ religioni obstricta sint) derogant, oẽs contemnent. Plat. ita censet. Sunt enim qui putant eos, qui in huiusmodi artium, & scientiarum, astronomiæ videlicet, & cognatarum, necessariarumque cognitionum institutis versantur, religionis omnem sensum exuere, & impios euadere; vt qui, quantum fieri potest, ex causarum quarumdam necessitatibus, non verò ex diuinæ voluntatis ui, & prudentia res, & fieri, & gubernari animaduerterint. Hęc nobis maximè in mentem nunc veniebant, vt refelleremus opinionem horum; siquidem ab his principibus viris, quibus qui non crediderint, nec credent profectis, rationem, experientiam, & auctoritatem accipimus: quamquã his, quos uiros magnos non sine aliquo afflatu diuino fuisse putamus, etiam nulla ratione reddita deberemus credere. Restat, vt de octonario numero perpauca subiungamus: in infinitum enim excurreret oratio, si omnia, quæ tùm ad astrorum, tùm ad hunc pertinent, referre vellemus. Exordiamur à Diuo Augustino. Numeri ratio non contemnenda (ait Aug.) quæ in multis sacrarum scripturarum locis, quàm magni sit æstimanda, elucet diligenter intuentibus: nec frustra in laudibus Dei dictum est: Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti. Diuo Aug. Plat. libet adiungere, qui post multa hæc concludit. Vt, si quis numerum, numerandique artem de vita sustulerit, ille cæterarum artium omnium fundamenta subuerterit,

vt

vt illę penitus euanescant. Utinam ne omnia de numeris, & præsertim de octonario superstitiosa sollicitudine, & miseria crederent; quis enim sapiens, aut quis vir in vita illustrior hac superstitione vtitur? Atenim ad huius numeri summam nobilitatem cum maxima stabilitate iunctam veniamus: hoc cognito refrigent commenta. In primis perspicuum est. Octonarium vel maximè significationem vitæ præbere: ex eo.n. primus est cubus, cuius proprium est stabilitatis, & perpetuitatis firmamētum significare, at ex ipso reliqui fluūt cubi omnes, & perinde octonarius cuborum principatum obtinet; quò fit, vt Pythagorici hoc numero iustitiam effingant, quia in eo maxima æquabilitas cernitur, quam etiam ob causam Deus iustitia dicitur. In diuinis oraculis octonarius numerus iustitiæ est insigne. Ægiptia sapientia in columna, in exprimenda iustitia, inscripta octo Deorū nomina referebat. Quid? Uni terræ assignatus hic numerus cubus, tamquam omnis soliditatis firmamentum. Quin Plutarcus ipsum Bacco attribuit, quia octauo mense editus, iccirco Naxos illi dicata ea fælicitate donata fuit, vt Naxiæ mulieres octimenses partus vitales exponerent. Perpetuæ ęquabilitatis propagationis fælicitas in eo numeratur. Nunquid, si numerorum præstantiam, qua Deus eos ornauit, spectemus, octonarius inscite erit morti dicatus? Dicitote potius, causarū antegressarum efficientiam naturalem in se causę fortuitæ cohibent. Itaque partus octimenses, nisi causæ naturales à fortuitis cohiberentur, uitales exirent. Possent quoque, si hæc vera sint, quo modo verissima sunt, à quinto ad decimiquartum mensem superstites esse: numquid dubitandum est, quin minora opera à natura edantur, si maiora ab ea moliantur? Confirmant hæc, quæ ab historicis memo-

riæ mandata sunt, nec omnem fidem præstantissimorum hominum peruertere licet: quippe, in historia leges sunt ad veritatem: nec verò impia obstinatione tantos viros fabellarum patrocinium suscepisse par est: num hominum interitu veræ historiæ quoque occidunt? at ea commemorabimus ex multis, quæ possemus referre, quæ lucẽ maiorũ digniorumque testium non desiderant. Age: Diui Hieronimus, & Gregorius tam insolita memorant, & miranda naturæ opera, vt supra suas vires videantur. Ille scribit puerum nouem annorum nutricem compressisse, atque liberum suscepisse. Hic ad Vitalem scribens: puerum decennium idem potuisse: præterea Salomonem Regem vndecimo anno Roboam genuisse, & Achaz id ætatis Ezechiam. In ætate autem suprema, nec minus admirabilia contigisse tradunt grauissimi auctores. Maßinissam Regem octuagesimo sexto anno procreasse filium. Catonem censorinum anno octuagesimo genuisse Saloninum. Æneas Syluius, postea secundus Pius P. M. prodit memoriæ Vlasdilaum Regem Sarmatiæ anno nonagesimo gemellos ingenerasse, qui reges fuerunt. Ferdinandus Mena, quem nos olim Madriti Regiæ Castiliæ cognouimus, integra fide partum sextimensem refert. Franciscus Valessius omnibus ætatibus prædicandus, partum se vidisse quintimensem sanctè testatur. Auicenna etiam partum sextimensem vitalem concedere visus est, & alterum gestatum mensibus quattuordecim. Non desunt, postremis sæculis, qui sint eiusdem sententiæ, vt fieri possit vitales esse à quinto ad decimumquartum; inter hos memorabilis vir Nicolus. Nostra ætate uir insignis Horatius Augenius obseruasse se affirmat duos partus sextimenses. Brasauolus, Fracantianus, Massa idem testantur. Quamobrem, cum nobis

multæ

multæ à natura rerum sumptæ rationes suffragentur, experientia, auctoritates omni exceptione maiores conspirent, contra naturam non esse opinamur, vt omnia, quę retulimus, verissima non sint. Non detereant autem nos permultorum, & pæne diuinorum hominum opiniones, qui suis innixi experientijs, ac rationibus, aliter visi sunt sentire: quoniam inest sapientię, & prudentiæ indagatio, ratio, atque inuentio veri, harumque virtutum hoc munus est proprium: vt enim quisque sinum naturæ penetrat, quid in re quaque verissimum est, videt, atque huic, quasi materia, quam tractat, & in qua versetur, subiecta est veritas. Illis suæ rationes ex experientia erutæ, propositæ fuerunt, tùm ad probanda, tùm ad neganda quæ de partubus, qui ipsis præternaturales visi sunt, explicauerunt; credendum quoque putamus præstantissimos viros in perspicientia veri indaganda non defecisse, & rerum cognitarum fide excellenter præstitiße: Verùm, quia vtrisq; nimirum, omnium sæculorum hominibus veritas constitit ab experientia: hæc verò ex obseruatione euentuum, plerumque ex aliorum relatione, ac fide, fieri potest, vt omnes decepti veritatem se aßecutos esse arbitrentur, à qua tamẽ sæpe fit recessio, multique dantur ad ipsam reditus, quia agitatio mentis, quæ numquam acquiescit, multiplici, erraticoque lapsu potest labi, & decipi: cuius enim veræ magis sunt opiniones, eius firmior veritatis comprehensio, quòd si veri cognitio consistit in ijs maximè, quæ naturam rerũ attingunt, vitandum est, ne incognita pro cognitis habeamus, neminique temere assentiamur: ad hęc vitia declinanda par est maiores magnum studium, tempus, & diligentiã contulisse, & non perinde Arist. & consequentes fecisse. Quanta verò illa sunt, quæ illi notata nobis tradiderunt,

neque

neque quadam reuerẽtia infirmamus, nec tollere audemus: imo ad ea, quę contra eorum sententiam dicuntur, ipsosmet duces adhibemus, & sic, quid placeat, exquirere; quamquã eo ferri solemus, quò à nostra propria intelligentia deducimur; nullam tamen nobis facultatẽ decernendi dari volumus, quẽadmodũ illi, et diuini homines hanc licentiam propter ingenij pręstantiã assequebantur: Quæ verò de re per omnia sæcula controuersa, ac ob opinionum varietatem valde obscura disputauimus, quia omnia naturę cohærentia esse arbitramur, non debemus dubitare, quin benignè ab omnibus suscipiantur: Atenim speramus omneis nos esse, quales consuetudine benignitatis cuperemus.

F I N I S.

PERORATIO.

VTinam vero perfecti homines, plane sapientes, & in quibus sint simulacra virtutis, nostra legant, tum enim in nobis praeclare agetur: utile certe erit redimi è morsibus eorum, qui voluptate quasi titillantes, in exigẽdo nimis sunt acerbi; illi enim neminem omnino negligunt, in quo aliquod lumen virtutis appareat. Sed sunt multi, & quidem tam cupidi splendoris, & gloriae, ut, modò noceant, omnibus eripiant: hi, si irascantur, quaeso ne imprudenter in morositatem inutilem, & odiosam incidant; omnes enim immemorem laudabilium morum oderunt: omnem quidem reprehensionem, & animaduersionem, quam etiam volunt contumelia vacare, ad communem utilitatem referendam esse iubent sapientes; siquidem quisque maximè, ut maximè leuiori rerum intelligentia ornatus, complectendus est. Nos quidem, qui non tantum roboris habemus ad hanc scribendi operam, studium conuertimus, facilè labi, & errare potuimus: sed sane in omnibus, de quibus disputamus, nulla ostentatione, at benefica voluntate ducimur. Sin erunt aliqua merita, D. O. M. gratia referenda.